



756239



Inscr. Pabli' I. In Annua
Philosophic Auditoris
Bosonii

A. 1800

603



Z

F. C. C. L. B. A CREUZ,

REGIAE BEROLINENSIS SCIENTIARUM
ACADEMIAE SODALIS,

CONSIDERATIONES
METAPHYSICAE.



Jus

Cherub

De Amari

Z

Philosophia

Auditione

Belon

1760

X



Francofurti ad Moenu in

APUD FRANCISCUM VARRENT APP.

MDCCLX.

1760

Ex Libris Gabrieli Taray
Pti 2^{um} in Annu. Casso
vie 1815^{mo}





CONSIDERATIONES
METAPHYSICIS
PRAELUCENTES.

CUM me referrem ad illa studia, quae caeteris omnibus excellentiora mihi semper videbantur, & in quibus nostri, in primis LEIBNI-
TII & WOLFII multum valuerunt, & illa, quae natura, cum illis, quae litteris assecutus sum, conferrem: animadverti, me invenisse per me non pauca, ab aliis jam inventa, qua observatione motus in rectam inveniendi veritates viam diligentius inquisivi. Necesse est omnino, ut conveniamus primum de recto philosophandi modo. LEIBNI-
TIUS noster respondit quidem Abbati CONTIO:
„ je m'étonne, que vous dites qu'avant que de parler de
„ la philosophie de Mr. NEWTON, il faut conve-
„ nir de la methode de philosopher. Est-ce qu'il y a
„ une autre Logique à Londres qu'à Hanovre,? Ve-
rum philosophus ille noster intelligit hic per Logi-
cam modum nostrum cogitandi naturalem, & hoc sensu Neutoniana logica differre nequit a Leibnitiana. NEUTONUS autem experientiam opposuit

definitis illis quaestionibus, quas hypotheses vocant, & animadvertens, vulgarem loquendi modum experientiae convenientiorem esse, LEIBNITIUM in epistola ad CONTIUM data reprehendit hunc in modum: „Si l'on vouloit examiner sa philosophie, il „ ne seroit pas difficile de faire voir qu'il détourne la „ signification des mots de leur usage ordinaire: lors, „ par exemple, qu'il apelle MIRACLES les choses qui „ arrivent dans le cours ordinaire de la Nature: qu'il „ donne le nom de QUALITÉS OCCULTES aux „ choses, dont les causes nous sont inconnues, & qu'il „ apelle AME, ce qui n'anime pas le corps de l'homme. „ On pourroit faire voir que son HARMONIE PRE- „ ÉTABLIE est contraire à l'expérience de tous les „ hommes.

APERIENDI igitur sunt fontes cognitionis nostrae, ut inter sententias tam diversas dijudicare possimus. Scrutemur antiquam notionum nostrarum historiam, & redeamus ad primum hominum statum, qui brutorum fere more vitam scientiae inopem egerunt. Lingua vel sermo, procul dubio una cum imperfecta quadam notitia rerum sensibilibus, vel quae sensibus percipi possunt, ortus est. Litteris inventis, sermonem perfici fere necesse erat. Consuetudini autem soli debemus modum illum cogitandi nostrum, qui recte & proprie vocatur sermo internus, latinius, intimus. Hinc error (quod obiter noto): quod nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensibus. Homines autem, sermone in dies magis perfecto, enunciare cœperunt, quae in se ipsis dudum experti erant. Non poterant enim non illam sui ipsius habere notitiam, quam suae ipsius existentiae conscientiam appellamus. Jam qui sibi conscius suae existentiae est, ex fonte

primae hujus ideae vel notionis derivat quam plurimas ejusdem generis notiones, quas sensibus non magis acceptas fert, quam suae ipsius existentiae conscientiam, quae a sensibus omnino oriri nequit: cujuscunque enim rei notitiam sensibus assequimur; ut extra nos existat, necesse est. Ipsa natura admonente hoc mihi persuadeo. Verum res illa, quae mihi appellatur: *ego*, extra sensus meos non existit. A sensibus ergo originem non trahit mea existentiae meae conscientia, *pura* saltem, vel *simplex*. Notiones, quas sensibus non debemus, appellare liceat *intelligibiles*, cum peripateticis aliquantisper loquentes. Notiones autem vel ideae intelligibiles enunciatae sunt verbis, ab origine res sensibiles tantum denotantibus: hinc mira confusio rerum vel notionum a se invicem, dici non potest quantum, distinctarum. Quemadmodum nemo de vera, inter diem & noctem intercedente differentia dubitat: sic de vera non minus & magna inter spiritum & corpus intercedente differentia nemo dubitaret, si primis temporibus, sermone & litteris vix inventis, notionibus intelligibilibus, nomine vacantibus, melius prospectum fuisset*. Quod si igitur ISACUS NEUTONUS de experientia, ad ideas sensibiles restricta, tantum loquutus est; LEIBNITIUS illi assentiri non potuit. Si simul idearum intelligibilium rationem habuit; multa sane Viri immortalis obversabantur menti, quae nos latere voluit, aut quae nos per nos ipsos inventuros vel assecuturos esse opinatus est. Sed pergamus. Sermo in dies magis perfectus cum rudi quadam experientia rerum tam sensibilibus quam intelligibilium, & judiciis

* Non magis saltem intelligibilia demonstratione indigerent, quam sensibilia.

saepissime inconsiderate de illis rebus enunciatis si-
 mul ortus fuit, auctusque, experientia aucta. Jam
 rebus verba substituebantur; jam philosophus phi-
 lologi auxilium accersere necesse habebat. Nova
 verba inveniebantur, & vocibus, quarum usus erat
 communis, alia subijciebatur sententia; prima er-
 go verba sensim veram & principem illorum signifi-
 cationem amisere. Casui multa debet *terminologia*.
 Et hoc quidem Zeno (CICERO hic loquitur) ge-
 stū conficiebat: nam, cum extensis digitis adver-
 sam manum ostenderat; *visum* inquebat, *hujus-*
modi est: deinde, cum paulum digitos constrin-
 xerat, *assensus hujusmodi*: tum cum plane com-
 presserat, pugnumque fecerat: COMPREHEN-
 SIONEM illam esse dicebat, *qua ex similitudine*
etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατά-
λήψιν imposuit: cum autem laevam manum ad-
 moverat, & illum pugnum arcte vehementerque
 compresserat, *scientiam talem esse* dicebat. Qui
 ergo nunc id obtinere studet, ne a vulgari loquen-
 di genere vel a veris propriisque verborum signifi-
 cationibus abeamus, idem dicit, ac dicens, vulgus
 semper tantum sibi persuasisse, quantum natura ipsa
 admonente cognovisset, nec errasse unquam. Qui
 autem voci cuicunque subijcit sententiam, ab ejus
 propria significatione alienam, probare necesse ha-
 bet, aut vulgus errare, aut ipsi aliam vocem non
 suppetere, cui *rem novam*, nomine adhuc vacan-
 tem, subijcere queat. Alia igitur est quaestio, an-
 non a vulgari propriave significatione vocis discede-
 re liceat, ut eidem voci aliam rem ac illam, quam
 vulgus cognitam habet, subijciamus, si praesertim
 rationes alicujus momenti, id suadent: alia est quae-
 stio, num ab usu loquendi abire liceat ibi, ubi prae-

eise id quaeritur, num res, quam vulgus subjicit voci, vere talis existat. Quod si ergo quaero, an salva libertate nostra systema harmoniae praestabilitae accipi vel approbari possit, qui illud defendit, ab usu loquendi discedere non debet, aliam vociliber-tatis subjiciens rem. Cum autem eadem res variis verbis enuntiari possit, & philosophi animad-verterent, vulgus saepe inconstanter loqui, defini-tiones condiderunt, quas vocant nominales, & a realibus illas differre voluerunt. LEIBNITIUS, ut ajunt, primus nos docuit hoc definitionum dis-crimen. Definitio nempe nominalis dicitur, per quam non patet, rem definitam esse possibilem; rea-lis, per quam patet, rem definitam esse possibilem. v. WOLFFII Logic. §. 191. Res ita se habet: Vo-cem definiens: rem definit: voces enim denotant res, & vocem definire, nil aliud est, ac rem illi subjicere. Ultimo omnia pendent a sensu interno. Sunt autem voces, vel verba, aliorum verborum signa, brevitatis ergo inventa, quae explicantes idem agimus, ac latine reddentes, quae legimus graece. Horum terminorum definitiones nomina-les recte appellantur. Sic nosmet ipsos vertimus, verbis eousque alia verba substituentes, quousque id licet. Ad prima tandem pervenimus verba, qui-bus alia substitui non possunt, & haec prima verba necessario excitant in nobis notiones, rebus respon-dentes, quae notiones ergo vel quoque sensationes ipsae, si de rebus sensibilibus sermo est, verae sunt definitiones verborum, per quas autem rem defini-tam non solum esse possibilem, sed & vere existere

* Rem autem omnino definitio, illam signo norans, quo & absens ab aliis discerni possit, & signum (vocem), rem mihi repraesentans, cujus est signum.

patet. Qui vocem igitur definire vult, ejus est, rem ostendere, quae illi subijci debet, vel exponere, existere aliquid, cui tale nomen sit impositum: & illud conficit, dum talibus verbis utitur, quibus enunciatis statim excitatur in nobis idea vel notio rei ipsi respondens. Omnes ejusmodi definitiones ergo sunt reales, quamvis videantur tantum esse nominales. Sed sunt reales, vel arbitrario, vel naturae convenienter formatae; vel verae vel falsae. Cum autem voci definiendae plures aliae substituendae sint, usque dum ejusmodi vocem reperimus, quae excitandae tali notioni vel ideae sufficiens est: prima definitio vocis, i. e. prima aliorum verborum substitutio definitio nominalis appellari potest, quemadmodum de terminis jam notavimus. Verum, si de definitionibus nominalibus sermo est, id semper quaeritur, num vocibus, quibuscunque utamur, res & qualis, subijci possit? Et ergo semper potissimum agitur, ut definitio, ultima saltem, excitet notionem veram realem, seu quae impossibilis foret, nisi existeret aliquid, quod illi responderet. Per res ergo definimus verba, sed non res per verba. Rei enim nomen imponimus; nomini rem, cui illud imposuimus, iterum subijcimus. Definitiones reales sunt ergo cogitationes ipsae, rem exprimentes, vel repraesentantes*. Haec ita se habent secundum naturalem nostrum cogitandi modum. Alia est ratio definitionum idealium, cum rem nobis tantum ut possibilem cogitatione depingimus, ejus existentiae ratione habita nulla, sive existat, sive non: quae definitiones diverso respectu vel nominales vel reales appellari possunt; nominales, dum ideae possibili no-

* Cogitationes nempe vel notiones, quae impossibiles forent, nisi illis responderet vere existens quid.

men impono*; *reales*, dum expono, quomodo ens meum ideale oriatur**. Hinc patet, quomodo sensum sermo novus ex sermone vulgari sit ortus, qui hoc intuitu *artificialis* recte appellatur. Sermo enim vulgaris a *natura ipsa*, quae hic opponitur *arti*, originem suam trahit. Sermo ergo vulgaris arctiori nexu cum rebus ipsis cohæret, vel propius a notionibus ipsis naturalibusque abest, quam artificialis. Sermone illo artificiali adsuefacti iniqui saepe sunt illis, qui vulgari, vel (*hoc sensu*) naturali linguae assueti, recteque omnino sentientes, polite tamen eloqui nesciunt, quae sentiunt. Philosophiam autem nostram factitiis in notionibus abundare, quis nescit? Nec sunt tollendae, nec tolli possunt; sed multo studiosius, quam adhuc fieri animadverto, a naturalibus illis notionibus distinguendae sunt, ubi de veritate investiganda sermo est. Ad notiones factitias e. gr. pertinent *essentialia* WOLFII, quae definit per ea, quae in ente sibi mutuo non repugnant, nec tamen per se invicem determinantur. Fac substantiae A. inesse b. c. d. & substantiae B. inesse b. e. f.: falleris, si credis τὸ b. quod inest & τὸ A. & τὸ B. idem esse b. cum sane non eodem prorsus sensu substantiae A. & B. inest. Quae in ente sibi mutuo non repugnant, per se invicem omnino determinantur. Exempla geometrica & moralia, dici non potest quam sint utilia ad nos decipiendos, ubi de essentiis rerum, vere existentium vel de substantiis agitur. Repraesentationibus illis possibilium res vere existentes non ita respondent, ut id nobis persuademus:

* *Speciatim, si possibilis est, quamvis, quod illi respondeat, vere non existat.*

** *F. e. dum notionem concretam resolvo, & in abstractam formo.*

alia est ratio repraesentationum *necessariorum*, quarum res vere existentes sunt causae, quatenus nempe sunt *necessariae*, & hae repraesentationes sunt repraesentationes non possibilem, sed realium. His repraesentationibus res extra nos existentes omnino respondent. Sed aliud est, rem sibi repraesentare ut existentem, aliud ut possibilem. Si rem existentem nobis ut *possibilem tantum* repraesentamus, & eadem res, sed *quatenus a nobis ut possibilis* repraesentatur, existencia donaretur, alia omnino res existeret, ac illa, a qua possibilitatem mente sejunximus. Quod si autem secundum repraesentationes nostras *necessarias*, ubi res vere existentes ut *existentes* nobis cogitatione depingimus, novae res conderentur, illis omnino, quas necessario nobis repraesentamus, perfecte similes forent. Sunt praeterea notiones, quae possibilem sunt in comparatione ad modum nostrum cogitandi vel concipiendi, quamvis nihil extra nos vere existat, quod illis respondeat; sunt, quae impossibilem forent, si nihil, quod illis responderet, re vera existeret. *Possibile* enim non solum ab *existentia* mente sejungimus, sed & fingimus: illi est *reale*, quod responderet; huic non. Repraesentationes nostrae autem rerum vere existentium, & quae huc pertinent, *impossibilia* forent, nisi res vere existerent, quarum sunt repraesentationes. Notiones ergo, quas *fictitias* appellamus, latiori & strictiori sensu accipi possunt. Sed redeamus ad definitiones & terminos, & concludamus ex hisce omnibus: primum ab usu loquendi toties non esse discedendum, quoties ab illo abire idem est, ac ab experientia vel notionibus naturalibus & realibus abire, vel verbis ludere, & de aliis plane rebus loqui, ac de quibus sermo est: tum voces excitandis ideis notionibusque, iis re-

spondentibus, per se sufficientes, adeoque per se
 claras non esse definiendas, nisi ubi usus propositio-
 num identicarum id postulat: nec plus explicandum
 esse, quam finis, quem petimus, exigit, abstinendum
 ergo esse a tot definitionibus, & terminis plane
 inutilibus, *ubi non praecise id agitur*, ut omnia
 definiantur, explicentur & certis signis distinguantur,
 quae ejusmodi definitionum, explicationum & distin-
 ctionum non omnino sunt impatientia: id quod illi
 non attenderunt, quos Illustr. WOLFIVS expertus est
 - - - - - nimum constanter iniquos,
 nec magnum illum propositionum identicarum usum
 cognitum habuere; quamvis illustr. philosophum vel
 necessitatis vel utilitatis excusationem semper defen-
 dere non omnes sibi persuasuri sint, id quod exemplis
 illustrandum foret, sed pergo: deinde, ubi natura non
 distinguit, nec nobis distinguere licet, si praesertim vel
 praecise de rebus vere existentibus, quales sint, quae-
 ritur; nobis autem omnino licet, verbis notionibusve,
 quae non simpliciter, necessario vel constanter, sed
 tantum certo respectu & propter certum finem di-
 stinguuntur, ibi promiscue uti, ubi distinguendi
 ratio cessat: post licebit nobis procul dubio, termi-
 nos artificiales, qui potissimum brevitati inservire
 debent fini nostro accommodare, cum idem sit, ac
 si nos terminos illos invenissemus, nos vero termi-
 nologiae illi, quae mere est artificiale quid, eam-
 dem reverentiam non debeamus, quam debemus
 usui loquendi vel vulgari loquendi modo, cujus ortum
 explicui, qui autem longe diversus est a sermone
 illo artificiali: denique notandum est, definitiones
 tales condi posse, quibus omnino respondent no-
 tiones possibiles, nosque cogi quidem, ut *confiteamur*,
 oppositionis rationibus adhuc nobis deficienti-

tibus, definitiones tales admitti posse, sed non cogi, ut *assentiamur*, aliis diversisque menti nostrae obversantibus cogitationibus notionibusve, quas nondum polite, vel secundum regulas artis enuntiare valeamus, nobisque ergo saepe iisdem verbis utendum esse, quibus alii utuntur, alia plane cogitantes, ne nomine vacent, quae sentimus vereque existunt. Sane univoce non semper loquimur, ubi univoce loqui videmur. Sunt omnino plura rerum genera, quinto illi generi ARISTOTELIS similia, quae non semper novo nomine appellare licet, ut ille tentavit, naturam nomine vacantem *ἐντελεχίαν* appellans. Significatio unius cujusque verbi vel termini, quo philosophus uti potest, nondum ita definiiri vel determinari potest, ut ab illa discedere non liceat, nisi fines limitesve intellectus nostri vel scientiae humanae prius definiti determinative fuerint. Qui enim id urgent, ut *constanter* loquamur, si vel id volunt, ut, ubi de *eadem re* sermo est, vel nos aliis de *eadem re* nos semper loqui persuademus, *iisdem* quoque verbis *eandem* semper, non *diversam* rem subjiciamus, cum illis nullam habeo controversiam. Qui autem usum omnium vocum vel terminorum ad certos tantum casus restringunt, illis praesertim exclusis, in quos systema illorum non quadrat, vel definitiones condunt nominales, a quibus nulli philosophorum discedere liceat, id quod sub praetextu significationis receptae non deferendae vel non immutandae obtinere student; iis accedere non possum. Praecludunt enim & sibi & aliis viam ad inveniendas veritates, & nos dissentientes cogunt, de re plane alia loqui, ac de illa, quam cogitamus, terminis ab illis definitis utentes; vel necessitatem nobis imponunt, inveniendi novos

terminos. Rei scientes in mea erunt sententia, quod usum terminorum ad certos casus tantum restringere, idem sit ac intellectus nostri fines determinare: generaliter enim haec intelligenda sunt, non de certis casibus, in quibus praecise hac illave voce uti volumus, de eadem re loquuturi, & quamdiu de eadem re loquuturi sumus. Qui ergo, generaliter loquendo, usum terminorum vel vocum ad certos tantum casus restringunt, i. e. definitiones nominales condunt, a quibus abire philosopho nefas sit, excludunt alios casus possibiles, ubi usus ejusdem vocis locum habeat, sibi simul persuadentes, se omnibus ideis possibilibus prospexisse, ne signa, quibus notentur, deficerent. Appellemus ejusmodi definitiones, de quibus hic loquimur, *nominales universales*; quae autem certo systemati tantum accommodatae sunt, *particulares*. Philosophia enim vel *communis* est, respectu omnium philosophorum, vel huic illiue philosopho *propria*, a quo denominatur, velut philosophia PLATONIS, ARISTOTELIS, LEIBNITII. Definitiones nominales universales ad philosophiam communem pertinent. Sed locum non habent, nisi finibus intellectus nostri inventis, & illas condens, determinat fines intellectus nostri: quo jure? id est, de quo quaeritur. Licet enim adhuc *easdem* ideas variare, salva in essentia immutabilitate. Variantur ergo simul vocum significationes, & si plane nova reperio, quid obstat, quo minus alio sensu accipiam verba jam definita: quae aliter definita fuissent, si nova haec primos definientes non latuissent. Idem sane est, significationes vocum sic variare, ac nova nomina, rei novae, nomine adhuc vacanti imponere. Sermo ergo est de definitioni-

bus nominalibus *immutabilibus*, & hoc sensu *uniuersalibus*; *mutabiles*, nemo est, qui non admittat. Res ipsa tamen loquitur, nos naturae & analogiae linguae semper conuenienter loqui debere. Sunt voces, quae unam tantum significationem patiuntur. Qui animam corpoream, vel corpus & animam a se non differre credit, animam vel spiritum propterea non appellat corpus, sed negat animae spiritusve possibilitatem vel existentiam, i. e. definitionem nominalem animae condens, illam appellare nequit corpus, quod *animat*, cum appellanda sit id, quod *animat* corpus, *animans* ergo ab *animato* distinguendum sit. Ultimo tamen re negata, nomen rei negatae olim impositum, recte alii illi rei nunc imponitur, quae priori sublatae substituitur. Sic quod habet partes, diverso respectu & materiale & immateriale appellari potest, quamvis illi, qui spiritum ex partibus compositum haud ferunt, id tantum, quod simplex est, immateriale appellent. Sunt autem & voces, quae quasi sua natura ita comparatae sunt, ut vario sensu accipi possint, & has voces quemquam ita definire, ut ad unam tantum restringantur significationem, quotiescunque occurrant, hominis est intemperanter abutentis arte definiendi. Caveamus autem potissimum, ne nobis praecludamus viam ad novas inveniendas veritates. Generaliter ergo loquendo, voce ad unam tantum significationem restricta, quae salva linguae natura & analogia plurium significationum non impatiens est, phantasia amittit occasionem, quam variae ejusdem vocis significationes illi offerunt ad inveniendas veritates. Sed necessario semper variat ejusdem vocis significatio, variata idea, cujus est signum, essentia tamen ideae haud mutata, velut

salva universi essentiae immutabilitate idem universum tamen modis infinite variis repraesentari potest. Non inutilia autem sunt, de quibus adhuc disseruimus. Animadverti enim saepe, philosophos, aliorum systemata examinantes, id pro falso habere, cui termini, quos didicerunt, non respondent, vel ad minimum illis exprobrare, quod a terminis definitionibusve receptis discesserint, cum tamen non de terminis, sed de rebus sermo sit, & ejusmodi objectatio supponat, fines intellectus nostri jam esse inventos, vel omnes res, quas cognoscere potest, in terminologia, qua utimur, contineri. Superfunt autem omnino, quae aut lectoris meditationibus relinquo, aut de quibus alio loco disseram. Huc pertinet: exempla saepius magis definire, quam definitiones proprie sic dictas, & descriptiones* plerumque definitionibus** utiliores; philosophi saltem esse, plus vice simplici definire, tum vero ultimam definitionem in propositionem vel orationem brevem formatam & utilissimam esse, & multum suavitatis habere, & memoriae se commendare. Qui autem illam audit, nisi & utilitate & voluptate illa carere velit, retro repetere necesse habet, unde venimus. Transeamus nunc ad demonstrationes. Notavimus jam, sermone invento, cogitationes nostras non esse nisi sermonem internum, quem cogitandi modum soli debemus consuetudini. Lingua aucta, fieri non potuit, quin necesse haberemus, verbis quibusdam alia substituere, ejusdem re vera notionis signa, sed aptiora ad excitandas notiones illas, quae verbis semper respondere debent, quae non sunt

* Definitiones vulgares vel illiteratorum hominum.

** Secundum syntaxin ornata[m] philosophicam, ut ita dicam, formatis.

sine mente soni. Haec verba *defnientia* appellare liceat, & *prima* in sensu philosophico. *Defnientibus* autem verbis, & *defnitis*, cum sit res plane eadem, quae subjiatur: omnes definitiones sunt propositiones identicae. Nos autem verbis alia substituentes demonstrare videmur, & demonstrantes id agimus, ut planum faciamus, propositionem demonstrandam, & propositionem vel indemonstrabilem, ut ajunt, vel jam alibi demonstratam, quamcunque loco *demonstrationis* principii ponamus, esse propositiones identicas. Cum ergo propositiones *defnientes* & *demonstrantes*, ut ita dicam, & propositiones *defnita*e & *demonstrata*e sint propositiones identicae: quis non animadvertit, animam puram vel naturam ipsam nec definire, nec demonstrare? Qui enim probat, nos aliquid re vera cogitare*, eodem probat tempore, id verum esse, quod cogitamus, & probare quemquam, alium id cogitare, quod ipse cogitat, hominis est nugantis potius quam philosophantis: non enim id probare vel alterum convincere possum, nisi verba mea in illo excitent easdem notiones, quas in me excitant; illius ergo confessio sola mea est demonstratio: Jam negat, illa verba in ipso easdem excitare notiones: quid ergo consilii capiendum? Ut assentiatur, natura ipsa illum coget, sed non ut confiteatur. Interdum tamen illum cogimus, ut confiteatur, sed non ut assentiatur, ubi nempe re vera verba nostra in illo notiones easdem non excitant, ille tamen non habet, quod nobis opponat. Quod existit, est realiter verum: quod cogitamus, est cogitabile, pos-

* *Necessario nempe. Quod arbitrario cogitamus, nec verum nec falsum proprie; sed alterutrum respective tantum est,*

sibile respectu intellectus nostri, & idealiter verum. Natura paucis philosophatur, & nulla demonstratione indiget, ut vincatur veritatis alicujus. Nos ergo demonstrantes, & nos aliosque convincentes alia aliis substituimus verba, quibus ultimo una tantum eademque res subjicitur: id ergo agimus, ut exponamus, quomodo una eademque res variis modis repraesentari queat, & idem sentientes, dum eloquuntur cogitata, in verbis a se differre possint: Demonstrando ergo efficimus, ne eadem pro diversis habeantur. Anima autem pura, qualis est, a corpore seiuncta, cum nec definiat, nec demonstret, sed quaelibet ejus cogitationum jam in se vel a se ipsa vel a natura ipsa sit definita & demonstrata, modus ille cogitandi, qui in animam puram cadit, omnino differt a modo illo nostro definiendi, demonstrandi vel ratiocinandi, quem eidem consuetudini debemus, cui modum illum cogitandi, qui non nisi sermo est intimus, acceptum ferimus. Re vera nempe cogitationes nostrae se invicem excipientes, una ab altera derivata, vel se mutuo ponentes, unam tantum cogitationem conficiunt, per se claram, distinctam, evidentem, certam, seque ipsam definientem & demonstrantem. Modus autem cogitandi, qui decet naturam intelligentem finitam, talis est, ut ad cogitationem z non perveniamus, nisi a cogitatione a. incipientes ab illa ad cogitationem b. & sic porro progredientes, vel redeuntes a cogitatione z. & subsistentes in cogitatione a. Ex hoc abunde patet, quid sit, *successive cogitare*. Est ergo cogitatio a. & cogitatio z. eadem cogitatio, & quae medium tenent locum, earum eadem est ratio, verbisque enunciatae omnes re vera sunt propositiones

identicae, quamvis id non statim appareat *. Ne tamen confundantur cum synonymicis, vel respectu verborum tantum vel grammaticè identicis, notentur, quae sequuntur: Sermo est de cogitationibus *vere duabus*, non *apparenter* duabus, ubi *una* re vera tantum adest, duae adesse videntur. Sermo ergo est de cogitationibus, a se omnino discernibilibus. Illae autem cogitationes ope *intermediae*, quam *connectentem* appellare juvat, connectuntur, & *connexae* sunt eadem. Repraesentatio perfecta vel totalis *spiritus*, est simul repraesentatio *corporis*; *corporis*, est simul *spiritus*. Cogitationes ergo, quae sunt partes repraesentationis totalis *corporis*, & cogitationes, quae sunt partes repraesentationis totalis *spiritus*, sunt *eadem*, vel cogitationes *identicae*. Propositiones ergo: *Conscius mihi sum existentiae corporis*, & *conscius mihi sum existentiae spiritus*, sunt propositiones identicae, quamvis id non ita videatur. Cogitationes autem illae, se mutuo ponentes, appellantur nobis conclusiones, & cum re vera tantum unam cogitationem conficiunt, unum quoque necessario est illarum conclusionum principium. Principium illud, de quo manant, est Totum illud ipsum, cujus sunt partes: sunt enim cogitationes, de quibus loquimur, unius compositae cogitationis partes. Constitutio Universi perfecte respondet huic idearum nostrarum nexui. Res enim vel entia, quae Universum conficiunt, se mutuo ponunt. Uno posito spiritu ponuntur reliqui omnes: quodlibet enim individuum sibi existentiae suae

* Propositionum, quarum altera ex altera derivatur, IDENTITATEM necessario ponendam esse, & hinc patet, quod illa sublata concipi plane non potest, cur propositio B. necessario sit ponenda, posita propositione A.

conscium est pars Universi spiritualis. Spiritibus autem positis, ponuntur corpora, quae non sunt nisi sequelae necessariae spirituum, & tolluntur, spiritibus sublatis, uno eodemque momento. His omnibus positis, ponitur Universum, & spiritus & corpora eodem sensu unum idemque conficiunt Universum, quo cogitationes illae se mutuo ponentes unam eandemque cogitationem conficiunt. Omnes autem illae cogitationes nos nobismet ipsis manifestant, & continentur ergo una hac cogitatione, existentiam meam mihi manifestante, vel existentiam meam exprimente. *Conscius mihi sum existentiae meae, & conscius mihi sum Universi, cujus pars sum,* sunt ergo propositiones identicae*. Cogitatio ergo illa prima, quae meam mihi manifestat existentiam, vel illam exprimit, est principium primum & universalissimum, quod in se continet omnes cogitationes meas, Universum exprimentes. Ego autem *tantum* mihi conscius sum Universi, *quantum* mei ipsius mihi conscius sum, & *tantum* mei ipsius mihi conscius sum, *quanta* est vis mea cogitandi. Cogito autem successive, & vis illa semper augetur: quo sensu & modo alio loco est pluribus exponendum. Leges, secundum quas cogitamus, studiosus in libro naturae evolvi deberent. Haec pauca notentur velim. Primum anima pervenire nequit ad cogitationem *c.* nisi beneficio cogitationum *a.* & *b.* Quod si autem, hac servata lege, cujus trans-

* IDENTITAS est vel TOTALIS vel PARTIALIS. TOTALIS, si TOTUM objectum cogitationis *a.* est IDEM TOTUM objectum cogitationis *b.*: PARTIALIS, si objectum cogitationis *b.* PARS est objecti cogitationis *a.* Quae autem OBJECTIVE sunt EAEDEM, SUBJECTIVE propterea EAEDEM non sunt.

gressio est impossibilis, series quaedam cogitationum jam in anima existit: tunc nil impedit, quominus anima cogitationes intermedias, quae jam successive in illa existere, praetereat, & ab *a.* statim ad *z.* perveniat. Secundum hanc legem ergo, quam *saltus exclusivam* appellare liceat, vel *continuitatis* vis animae augetur cogitando, ita ut possit praeterire cogitationes intermedias, cum idem sit, ac si cogitationes illae intermediae, quas successive jam habuit, non essent. Sunt enim cogitationes, quas *eminentiores* appellare liceat *, ad quas modo longior modo brevior via nos ducit, pro quantitate virium, quibus semper majores concipi possunt: quo sensu autem, & sub quibus conditionibus, alio loco exponetur, quo de limitibus substantialibus, & gradibus tam essentialibus, quam accidentalibus pluribus differemus. Spiritus *A.* ergo, cujus vis cogitandi major est vi cogitandi spiritus *B.* ad ejusmodi cogitationes eminentiores breviori via pervenit, cum pauciores illi cogitationes intermediae obstant, quam spiritui *B.*; i. e. spiritus *A.* *minus successive* vel *minus finite* cogitat, quam spiritus *B.* cum e. gr. spiritui *A.* a cogitatione *C.* ad cogitationem *D.* progredienti obstant tantum intermediae *c. c.* Spiritui *B.* autem obstant intermediae *c. c. c.* & quae sunt reliqua. Si tamen ab eminentibus ad eminentiores, vel ab eminentioribus ad eminentiores cogitationes transeunt spiritus sublimiores, non est saltus; non enim praetereunt vel transiliunt cogitationes intermedias tenues vel exiguas, ut ita dicam, sine quibus ad eminentes per-

* Similes HORIS, quas clepsammidium, dum versatur, indicat; INTERMEDIAR, similes punctis temporis, quae collecta HORAM conficiunt.

venire non licet; sed progredientes plane non inveniunt ejusmodi cogitationes intermedias, illis obstantes, sine quibus tamen, generatim atque univ-erse loquendo, ad eminentes illas vel eminentiores in Universo spirituali non pervenitur, cum ejusmodi spiritus sublimiores plane non existerent, nisi existerent ordinis inferioris. Spiritus ergo illi sublimiores eandem legem in cogitando servant, cum ad cogitationem eminentiorem vel sublimem C, non perveniant, nisi beneficio cogitationum non minus tamen sublimium A, & B. intermediis a. a. b. b. vel plane non, vel paucioribus obstantibus, & vis cogitandi illorum eodem modo augeatur, cum, existente jam in illis serie quadam cogitationum, a secunda e. g. ad decimam statim perveniant, intermediis praeteritis vel omissis. Primam ergo illam legem *saltus exclusivam* excipit altera *brevissimae viae*, cui legi convenienter anima semper nititur, ut ab una cogitatione ad aliam, vel ad cogitationes, quas, ut distinguantur, *eminentiores* appellavi, intermedias, quantum fieri potest, transiliendo, perveniat: supponitur enim series quaedam cogitationum in anima existens, & cogitationes, ad quas transiliendo intermedias pervenit, illa contineri serie supponuntur: alio sensu haec lex primae illi continuitatis contradiceret. Cum hac lege fere convenit tertia, quam *comprehensionis* appellabo, vi cujus anima nititur, ut plures cogitationes in unam cogat, illas *comprehendente*. Quarta sit lex, quod vetat, ne *pugnantia* cogitentur, cui ergo convenienter cogitationes se mutuo tollentes animae una inesse nequeunt. Non ergo, nisi vera cogitat; falsa non cogitat, cum sint, quae cogitari nequeunt. Errores ergo, quantum confide-

rantur ut transgressiones legum, secundum quas cogitamus, sunt impossibiles. Quintam legem *mechanismi spiritualis* mihi appellare visum est, quia anima, ad instar *machinae*, vi suae constitutionis vel *quasi structurae* rem *praesentem*, extra illam existentem, sibi *neccessario* repraesentat, eodem prorsus modo, quo aures meae *neccessario* maris aestum audiunt. Res autem animae *praesens* est, si conditiones existunt, quibus existentibus res *neccessario* ab anima repraesentanda est. Anima tum involuntaria progignit ideam vel cogitationem, quae rem praesentem exprimit, cujus repraesentationis causa ergo, quatenus est *neccessaria*, res extra animam existens est. Aliud autem est universum, quale independentem a repraesentationibus nostris existit, & hoc universum exprimunt repraesentationes illae *neccessariae*, sed *modo*, qui decet naturam intelligentem *finitam*. Res ergo repraesentantur, quales sese habent ad vim nostram repraesentativam. Sunt autem, quae tantum in intellectu nostro existunt; possibilis, ad intellectum finitum restricta. Sunt qualitates, quas res habent dependentem a repraesentationibus nostris. Notiones ejusmodi *possibiles* appellavi, quo pertinent potissimum, quae rem vere existentem ut *possibilem* exprimunt, quae, si secundum regulas a natura praescriptas finguntur, sunt *reales* secundi ordinis. Hinc *lex fictionis*, vi cujus anima nititur, ut imitetur naturam in condendis vel creandis entibus, quae *idealiter* optime appellantur. Universum nempe modis infinite variis est repraesentabile. Quot ergo modis aliter aliterque repraesentari potest, tot mundi diversi fingi possunt, & finguntur a spiritibus: tot ergo *possibiles* sunt mundi eo sensu, quo *possibile* idem est,

ac in intellectu finito repraesentabile. Sunt autem ordines classesve spirituum, & praeterea differentiae individuales. Quodsi ergo hic ille spiritus Universum modis infinite variis sibi repraesentat, id non impedit, quo minus alius modis non minus infinite variis, sed tamen non *iisdem*, ac ille, Universum sibi repraesentet. Lex ergo, secundum quam anima fingit, est ipsa universi constitutio, vi cujus universum modis infinite variis repraesentabile est. Universum ergo formas infinite varias habet, & his formis respondent fictiones vel notiones illae possibiles. Hae fictiones vel notiones factitiae sunt ergo veritates, sed *ideales*, & probe distinguendae ab illis, quae non secundum regulas, a natura praescriptas; sed arbitrario ab anima finguntur, quas *artificiales* vel *factitias*, sensu strictiori, appellare juvat. Qualitates ergo rerum, quas dependenter a repraesentationibus nostris habent, non sunt merae apparentiae, cum repraesentationes, a quibus pendent, secundum regulas a natura praescriptas fiant. Sed universum, modis infinite variis, a natura autem determinatis, vel secundum regulas a natura praescriptas repraesentabile, modis quoque variis, a natura non determinatis, *libere* vel *arbitrario* repraesentari potest. *Libere* enim cogitamus, ubi rem, quam nobis repraesentamus, non necessario nobis repraesentamus, quemadmodum aures necessario audiunt aestum oceani; nec non ubi cogitationes nostrae sese excipientes non necessario sibi ita succedunt, sed & ipsae & ordo illarum variari possunt. *Libere* autem alio sensu, vel *arbitrario* potius cogitamus, ubi non secundum regulas a natura praescriptas, sed modo a natura non determinato cogitamus. Libertas ergo, de qua hoc loco sermo est,

est facultas animae, ideas certi generis ita producendi, ut eodem tempore illas quoque non producere possit, illasque variandi. Hae ideae vel sunt a natura determinatae, vel non. Si posterius: libertas hoc respectu facultas animae est, ideas producendi a natura non determinatas, illasque variandi. Ideae autem illae, a natura determinatae, siue *necessariae* & reales sint, siue *liberae* vel *possibiles*, secundum regulas tamen a natura praescriptas formatae, verae sunt necessario; nec erroribus hic ullus est locus; hae autem ideae, a natura non determinatae, in se spectatae nec verae, nec falsae sunt. Primum non *erramus*, si res *tales* repraesentamus nobis, *quales* se habent ad nos: cuicumque enim intellectui finito haec regula vel lex a natura praescripta est, ut praecise res sibi *tales* repraesentet, *quales* se habent ad illum, i. e. modo, qui decet naturam intelligentem finitam: *quale* autem universum ab intellectu infinito repraesentatur, *tale* est in se spectatum vel *absolute* consideratum. Deinde non *erramus*, si qualitates rebus tribuimus, quas alii spiritus illis non, vel loco earum alias, tribuunt, cum qualitates quas res *dependentem* tantum a repraesentationibus nostris, secundum regulas tamen a natura praescriptas formatas, habent, variare possint pro diversitate spirituum diversi ordinis, ut & pro differentiis individualibus: denique aliud est *errare*, aliud *subsistere*, ubi *progredi* licet; aliud, *errare*; aliud, *male eloqui*, quae *recte sentimus*; aliud *assentiri*, vel pro vero habere, quod *dependentem* a repraesentatione mea verum est, quamvis *independentem* ab illa non *idem*, & hoc sensu falsum sit; aliud, *errare*, vel *falsum* pro vero habere. Qui solem tellure minorem esse dicit, *erraret*, si per solem

intelligeret corpus, tellure majus, & corpus tellure majus tellure minus esse crederet. Sed loquitur de sole, qualis existit dependenter a repraesentatione sua, & idem re vera dicit, ac si diceret: *solem talem existere dependenter a repraesentatione sua*; qualis existat independenter ab illa, se ignorare. Interrogatus paullo studiosius, fatebitur, se de specie tantum solis, oculo impressa, loqui. Notiones a natura determinatae pro falsis, i. e. pro notionibus, a natura aliter determinatis, ac determinatae sunt, nunquam ab ullo intellectu vel spiritu, quotquot existunt, habitae sunt. Vera autem sunt, quae natura determinavit; quae non determinavit, nec vera, nec falsa sunt: falsa enim sunt, quae aliter se habent, ac natura illa determinavit, vel, ut ita dicam, ac vult, ut se habeant. Impossibile autem, quod hoc loco falsum, nullo sensu existit, i. e. nec in intellectu, nec extra illum existit. Vera ergo pro falsis, & falsa pro veris nunquam habemus, i. e. ideas, a natura determinatas, mutare nobis non licet; i. e. essentiae rerum sunt immutabiles. Quando autem ideis arbitrariis substituimus ideas a natura determinatas, illas tollentes: tunc *errores* appellamus ideas, quas *arbitrarias* alias appellamus. Cedunt enim ideae arbitrariae ideis, a natura determinatis. Nos autem secundum usum loquendi & quae ignoramus vel ubi subsistimus ibi, ubi alii progrediantur, *errores* appellamus, & ubi, quae recte sentimus, male vel non polite eloquimur, *errare* dicimur, & alios *errare* dicimus: tunc quoque alter alterum erroris arguit, dum *arbitrario* fingit ideas, alterius ideas aequae *arbitrarias* tollentes. Sensus quoque nostros, defectu aliquo laborantes, *errare* dicimur; sed non magis *errare* dici queunt

quam horologium, aliquo defectu laborans, *errare* dici potest. Haec tamen est origo, & causa, & ratio errorum nostrorum, secundum usum loquendi talium. Ideae enim, a natura non determinatae, sunt entia, quorum essentiae sunt *mutabiles*. Errores igitur *hoc sensu*, vel respective tales sunt possibiles. Cum ergo *verum* nunquam pro *falso*, *falsum* nunquam pro *vero* habeamus; rectius quoque **NUNQUAM** *errare* diceremur. Sed verba valent sicut nummi; *erremus* igitur. *Praejudicia* autem, quae, ubi de erroribus sermo est, silentio praeterire nefas foret, non sunt nisi regulae *arbitrariae*, quas Natura nescit, secundum quas cogitamus, & quidem vel a nobis ipsis fictae, vel ab aliis. De *voluntate*, quantum opponitur *intellectui*, hic prorsus sermo non est. De imaginatione hic multa dicenda forent. Ego vero de varia significatione hujus vocis inpraesentiarum parum sollicitus sum. Inquiramus potius pergentes in verum nostrum cogitandi modum, siue imaginatio appelletur, seu aliud quodcunque nomen illi hoc illove casu imponatur. Leges imaginationis tamen forte appellari poterunt, quas expositurus sum, propositiones. Anima nititur semper, ut producat repraesentationes, cogitationes, vel ideas. Lex *saltus exclusiva* vel *continuitatis* illi non permittit, ut cogitationem: *c.* formet, transiliendo cogitationes, *a.* & *b.* Anima ergo producens cogitationem: *c.* necessario reproducit eodem tempore (alias enim saltus re vera non evitaretur) cogitationes *a.* & *b.* Nullam ergo cogitationem vel ideam producimur, nisi simul, quas ante habuimus, *reproducendo*. Ubi autem in anima jam series quaedam idearum ab illa *successive productarum* ponitur, nil impedit, quominus anima legi *facillimae viae* con-

venienter, ab una idea ad aliam, ejusdem seriei tamen, transfiliendo intermedias, perveniat: pari ratione nil etiam impedit, quominus anima, *posita in illa hac idearum serie*, vel *hoc casu*, producens cogitationem aliquam, simul, sed arbitrario, reproducat quasdam cogitationes, ad seriem illam pertinentes, transfiliendo multas intermedias: cum re vera unum idemque sit, ac si omnes reproduceret. Ex hoc intelligi potest, cur fere nullam, vel nunquam ullam habeamus ideam, quam non alia comitetur. Ipsa igitur animae *libertas* dirigit illam in *hisce saltibus*, posita semel in illa serie quadam repraesentationum, *permissis*. Quemadmodum quoque in Universo extra nosposito haud raro eventus contingunt, qui sunt quasi *tertii effectus haud praevisi*, quas duae causae, independenter a se invicem agentes, producant, utraque fini, quem petit, convenienter agente, sed tertium effectum, inde orientem, haud praevidente vel volente (*intendente*): eodem modo anima, dum operatur, producit & reproducit repraesentationes haud praevisas: effectibus tamen fini, quem petit, convenientibus propterea non exclusis. Verum & corpori potissimum debemus turbam illam idearum mire variarum, quae nobis, de re aliqua cogitantibus, invitis occurrunt: anima enim vi legis illam cum corpore consociantis, dum operatur, meditatatur, memoriam ad praeteritorum cogitationem excitat, vel ideam perditam quaerit, spiritus animales quaquaversum dirigit, & sic varias excitat ideas materiales: vel vi dictae legis, spiritus animales quaquaversum dirigens, necessario motus in cerebro, & his convenienter sensationes excitat, quas jam habuit, admodum debiles tamen. Nil sane obstat, quae minus anima intrinsecus in organo

interioribus mutationes excitet, iis similes, quas in exterioribus objecta excitant externa, ergoque sensationes producat minus fortes vel extrinsecus venientibus debiliores, interdum tamen, conditionibus existentibus, sub quibus id fieri potest, aequae fortes & claras, ita ut *videamus*, quae tamen extra nos non existunt, *audiamusque*, quorum eadem est ratio. Reliqua a *consuetudine* pendent, quae, quod ad animam, oritur, anima *easdem* actiones saepius repente, & quod ad corpus, ex cursu spirituum animalium eodem modo saepius iterato intelligitur. Si ergo nobis certis imaginibus semel delectatis, alia quamvis nunc cogitantibus, eadem iterum occurrunt ideae vel imagines, & eadem consuetudine ducti, alia intime vel intrinsecus eloquimur, ac cogitamus: non est, quod miremur. Illius nempe nostri cogitandi modi, qui mihi aliisque sermo internus vel intimus appellatur, hic rationem habeo. Est tamen lex, quam imaginatio semper servat, dum res absentes, quae alio tempore ipsi praesentes fuerant, sibi repraesentat. Si nempe plures res alio tempore nobis praesentes aliquo nexu inter se continebantur vel una propter alteram aderat, & nobis illas revidentibus una alterave deest: tunc anima necessario sibi repraesentat res absentes, vel quae desunt, nisi sit, quod impediat illam repraesentationem, quo tamen casu, impedimento remoto, absens necessario repraesentabitur. Haec imaginationis lex derivatur ex illa, quam *mechanismi spiritualis* appellavi, cum ex pari ratione, ex qua res praesens necessario ab anima repraesentatur, eadem quoque absens repraesentetur. Sunt enim conditiones, quibus existentibus res demum praesens nobis, & necessario a nobis repraesentanda est. Conditionibus

autem *iisdem* existentibus, quibus existentibus necessario res ut *praesens* repraesentaretur, si *praesens* esset, *eadem* res nunc *absens*, necessario quoque ut *absens* repraesentanda est. Circumstantiis autem aliter se habentibus, anima quoque rem absentem sibi necessario non repraesentat, quamvis illam, in campo repraesentationum suarum adhuc praesentem, sibi repraesentare possit: quascunque enim cogitationes anima progignit, semper durant, nisi e genere illarum sint, quarum conservatio pendet a conservatione, continuatione, vel reproductione sensationum. ILLUSTRIS WOLFIIUS rem ita concipit, statuens; „*perceptionem praeteritam integram recurre* „*re, cujus praesens contineat partem.* „ V. EIUS *Psycholog. empiric. §. 104.* Ita se res haberet procul dubio, si de perceptione vere composita, vel de perceptionibus se mutuo ponentibus loqueretur: tunc enim una parte ejusmodi perceptionis posita, necessario ponuntur reliquae omnes. Exemplo res est illustranda. Vidi in templo Titium; nunc eodem loco, quo sederat, ejus pileum, chirothecas, baculum, librum evangeliorum, reliqua, video, & idea Titii reproducit. Alio tempore video locum, quo Titius sederat; sed Titii non recordor: observo tantum, locum illum esse vacuum, & a me occupari posse. Audivi quoque tum sermonem Theologi oratoris, multaque alia vidi, sed hae perceptiones diversae unam perceptionem (*compositam*) non faciunt, quia non componuntur, nisi quorum unum propter alterum, vel *compositionis* ergo existit. Res *duae sensu simul perceptas*, & *perceptis composita* a se differunt. Vidi Titium, i. e. corpus, compositum ergo, cui alia corpora, velut vestis, pileus, baculus, reliqua, juncta erant, quae omnia

illud conficiebant corpus, quod ego *Titium* appello. Unius ergo alteriusue partis hujus corporis perceptione reproducta, *Totius* reprodicitur perceptio, nec est, qui id miretur. Titius autem & Mevius eodem tempore inter se colloquebantur. Audivi illos inter se colloquentes; vidi ambos: duae ergo res hic considerandae sunt, sensu simul perceptae. Sed Mevii non recordor, quia perceptio amborum non erat perceptio vere composita: duae aderant perceptiones, sed non *compositionis* ergo: nec ergo componebantur. Una igitur reproducta, altera propterea & necessario non producitur. Si producitur, ex eadem tamen ratione haud producitur, ex qua integra Titii perceptio producitur, ejus partis perceptione reproducta. WOLFIIUS tamen hisce exemplis fretus principium generale regularum sensationum finxit, & *legem imaginationis* appellavit hanc propositionem: „*Si qua simul perceptus* (i. e. duas res simul, vel eodem tempore) & „*unius perceptio denuo producat; imaginatio producit & perceptionem alterius.* l. c. §. 117. Ex hoc procul dubio quis colligeret, alterius perceptionis reproductionem esse sequelam productionis unius: sed minime. Innumeris in casibus altera perceptio non producitur: producitur autem semper, nisi sit, quod id impedit, si perceptio fuit vere composita, velut in exemplo ex Titio petito. ILLUSTRIS BÜLFFINFERUS regulam phantasiae fundamentalem hanc esse, ait: „*cum excitatur per sensationem idea quaedam, quae aliquid commune habet cum idea alia olim percepta, tum vero phantasia menti simul repraesentare POTEST & SOLET ideam illam olim perceptam v. Ejus dilucidat. philosophic. §. 255.* Explicuit autem philosophus ille

Spho: praecedente, quo sensu *commune* aliquid habere dicantur *ideae*, nempe non solum in se spectatae, „sed etiam respectu individui illius, in quo fit haec „ *imaginatio cum v. g. olim duae ideae (per sese non „ similes) eodem tempore, vel diversis temporibus eodem loco vel diversis loco & tempore penes eandem personam tertiam, vel utcumque sub eadem circumstantia adfuerint.* Docemur autem ab experientia, *idea quadam per sensationem excitata, alias simul produci, quae nihil cum illa commune habent, nec ratione temporis, nec loci, nec personae nec cujuscunque alius circumstantiae.* Video e. g. *Wolfii metaphysicam. Cogitare ergo deberem vel de Wolfio, vitam beatam aeternamque nunc agente, de Langio, Buddeo, de Rege Borussiae, reliquisque; vel cogitare deberem de officina bibliopolae, a quo librum emi, de tot libris, quos simul ibi vidi, & tot aliis circumstantiis: sed cogito tantum de bello, Germaniae tam funesto.* Regula ergo illa ita foret concipienda vel formanda: „cum excitatur per sensationem *idea quaedam, quae aliquid commune „ habet cum idea alia olim percepta, tum phantasia menti simul repraesentare potest ideam illam „ olim perceptam, sed etiam plane diversam vel „ aliam.* Sed regula ita formata regulae nomen non meretur. *Idea enim per sensationem excitata non est ratio, cur anima possit vel olim perceptam, cum illa aliquid commune habentem, vel plane diversam menti simul repraesentare. Anima enim, generaliter de re loquendo, hac idea non existente, vel olim perceptam vel novam reproducere, vel hac idea existente ideam olim perceptam, cum illa autem nil commune habentem, producere potest. Cogito sane de rebus infinite variis, quarum cogitatio*

num autem nullae ideae per sensationem excitatae causae sunt occasionales, sed quas independenter a tot ideis per sensationem excitatis fingo. Res igitur ita se habet. I. Posita serie quadam idearum in anima, quaecunque idea producta, vel actu intellectui inexsistente, reliquae simul producuntur, num omnes, an quaedam illarum, nil refert, dum modo, quae producuntur, ita se indifferenter habeant ad reliquas, ut illarum loco quaecunque alia produci potuisset. Hoc sensu omnes simul produci dici possunt, cum natura non determinaverit, quaeenam illarum una cum alia sit producenda. Nos haec exposuimus supra; sed de casibus hic tantum sermo est, ubi natura nil determinavit. II Determinavit autem natura, vel statuit, ut, cogitationes se mutuo ponentes, vel quae eo, quo ab ipsa connexae sunt, modo & ordine in intellectu necessario sibi succedunt, vel aperte vel latenter, semper simul producantur: idem enim est, una earum producta ac si omnes productae essent, cum alia alia contineatur. Sed haec omnia fiunt modo nostro cogitandi, qui est finitus, convenienter. III. Sensationis vere compositae una alterave parte producta, tota sensatio producitur: sensatio enim composita est series sensationum se mutuo ponentium. Verum a WOLFIO hic ab eo, *duas res simul perceptas sensu, cum sensatione vere composita non confundens*. IV. Ex eadem, *compositionis* nempe, ratione, si qua de re quadam vel persona *propter certum finem* cogito, *sine*, quem peto, mihi in mentem *veniente*, ea quoque, quae de re vel persona *propter hunc finem* cogitavi, in mentem veniunt, & re vel persona praesente finis in mentem venit, & quae *rei vel personae*, de quibus *propter certum finem* cogito, vel *fini*, propter quem

de illis cogito, *adjuncta sunt*, una in mentem *veniunt*. Quo fit, ut, si alterius fines scio, plerisque in casibus facile divinem, quae cogitet, vel cogitaturus sit. Huc pertinet & hic casus: si repraesentationem praesentem rei vel personae alicujus signis vel ex circumstantiis adventitiis tantum (non essentialibus) petitis noto; alio tempore ejusdem rei vel personae repraesentatione recurrente, circumstantiarum harum, a quibus tamen repraesentatio rei minime pendet, simul recordor: latet enim sub signis illis, quibus rem notavi, omnino *finis*, propter quem notavi, quorum nunc recordor. Hac conditione sublata, aliter res se habebit. Ideae autem illae, quas *finales* appellare liceat, animae semper sunt praesentes. Producentur vel reproducentur ergo quacumque occasione & una cum quibuscumque aliis ideis. V. Conditio, a natura statuta, qua existente res praesens necessario ab anima est repraesentanda, simul est *ratio*, propter quam *eadem res absens* necessario ab anima repraesentanda est: sunt enim conditiones, quibus existentibus res necessario repraesentaretur, si *praesens* foret; necessario ergo ab anima ejus defectus observatur, vel res necessario ut *absens* repraesentatur. VI. Si anima id agit, ut producat cogitationes quascunque, tum redeunt, quas habuit, & tum quasi in campo repraesentationum suarum errat. Si alio tempore id idem agit, eadem plerumque redeunt cogitationes, eadem occasione olim jam reproductae. Anima autem productura cogitationem, quam praevidet, id agit, ut intermedias inveniat. Intellectus a re quaedam sejungens vel *abstrahens*, si ab aliis rebus olim perceptis vel repraesentatis *idem* abstrahi potest, eadem res, anima volente, iterum illi in mentem ve-

niunt. A flore caducitatem mente sejungenti omnia caduca, olim percepta vel repraesentata, in mentem, dum vult, venient, & de non perceptis idem recte judicium fert sub conditione, si forent aequae caduca. Hoc explicatur ex lege, quam *comprehensionis* appellavi. Sed multa pendent a consuetudine & modo illo cogitandi, qui sermo intimus nobis appellatur; aliter multa sese habebunt in anima pura. Ideae ipsae vel cogitationes saepe dissimillimae, voces autem, illas exprimentes, cognatae vel aliquo modo conjunctae sunt, ita ut uni voci aliae facile in intellectu se jungant, id quod pendet a modo, quo linguam didicimus, & a ratione lectionis nostrae, quae determinat illam vocum cognationem. Inde a voce ad vocem pervenientes, ab alia ad aliam simul pervenimus ideam, & vocem audientes necessario quoque casuum memores sumus, in quibus hac voce usi fuimus, vel alii usi fuerant; cum alias vox a nobis non intelligeretur. Varias quoque vocis unius vel ejusdem significationes causae sunt idearum mire variarum, in intellectu sese excipientium. Plura exempla in promptu sunt; unum sufficiet. Mecum intime colloquens mihi dico: *suspicio lunam*, & statim de Capitolio cogito, de Ovidio, reliqua. Non cogitarem sane nec de Capitolio nec de Ovidio, lunae idea producta, vel ex ejus occasione, nisi cogitatio ipsa latine, & praecise his verbis: *suspicio lunam*, exprimeretur. Didici enim hanc dictionem ab Ovidio, cujus versus, juvenis adhuc, quavis occasione recitare solebam. Ovidius autem canit:

Hanc (*lunam*) ego *suspiciens*, & ab hac *Capitolia* cernens.

Repraesentantur ergo saepissime a phantasia ideae non olim perceptae solum, sed & novae, non ex occasione praesentium idearum, sed illarum signorum, cum aliae plane reproducerentur ideae, si praesentes ideae *aliis signis* notatae essent. Multi in ea sunt sententia, quod imaginatio impediatur investigationem veritatis, quibus autem Ill. BÜLFINGERUS respondet sequentem in modum: *impedit investigationem veritatis, non tamen ipsa imaginatio, sed*
 „ *ILLA hominum CONSUETUDO, qua ex non di-*
 „ *stincte cognita, sed utcumque in imaginatione reprae-*
 „ *sentata rerum similitudine decidunt.* „ l. c. §. 256.
 Saepius observavi ibi, ubi imaginatio accusata fuit, re vera de naturali nostro cogitandi modo sermonem, vel illum ipsum accusatum fuisse. Idem philosophus „ vellem, ait, ut inquirerent metaphysici, annon detur discrimen, ut sic dicam, absolute, quo praesentem imaginationem sine collatione ad sensationem possit mens internoscere. „
 Sub conditione, quod anima non impediatur, quo minus inquirat in naturam repraesentationis praesentis, imaginatio sine collatione ad sensationem omnino internosci potest. Inquirens enim in naturam repraesentationis praesentis, quae est imaginatio, comperiet anima, repraesentationem illam non e genere *necessariarum*, sed *arbitrariarum*, ergo imaginationem esse. Sunt autem repraesentationes *arbitrariae* repraesentationes entium idealium, quorum essentiae sunt *mutabiles*; *necessariae* autem *realium*, quorum essentiae sunt *immutabiles*. Haec inter *necessarias* & *arbitrarias* repraesentationes intercedens differentia verum & unicum criterium est, quo imaginatio praesens vel sine collatione ad sensationem internosci possit. Immo comparatio ima-

ginationum ad sensationes non sufficit,* a quibus independenter *necessitas* repraesentationis concipi potest. Ill. BÜLFINGERUS l. c, haec adhuc notat, aïens; „Scio, posse me ut praesentia imaginari, quorum praesentia sufficientem in statibus antecedentibus rationem non habeat; adeoque certum est, ubicunque non adest ratio sufficiens praesentiae illius rei, quam mihi repraesento, ibi non esse sensationem, sed imaginationem.„ Hoc est criterium *Wolffianum*. Verum primum id quaeritur, ex quo explorata veritate intelligatur, *rationem sufficientem non adesse*, cum adesse, sed nos latere possit: tum autem persona, per merum actum liberae voluntatis praesens, cum eodem tempore libertatis naturae convenienter & absens esse potuisset, sine *ratione sufficiente* praesens esse dicenda est. Est enim ejusmodi rei vel personae *libere praesentis*, ut ita dicam, tam *absentia* quam *praesentia aequae possibilis*, nec *praesentiae*, nec *absentiae* ratio adest sufficiens. Aliud autem est, rem pro

* Casus potissimum ratione habita, ubi ne comparatio quidem imaginationis & sensationis duci potest, velut in somnio: in quo statu tamen anima imaginationem non pro sensatione haberet, si modo illi liceret, in naturam repraesentationis suae inquirere, num sit necessaria, nec ne. Interdum in ipso somnio se somniare animadvertit. Consuetudini debemus alacritatem illam vel habitum, somnium a statu vigiliae dignoscendi. Certa rei ratio autem pendet semper a qualitate repraesentationis, ejus nempe *NECESSITATE*, ex qua intelligitur, sensationem, vel verum sive existens quid extra me adesse, ubi imaginatio adesse posset: Quamvis ergo repraesentationis talis, quae videtur sensationi similis, & sensationis ipsius aliqua sit differentia, & nos rationem sufficientem praesentiae rei repraesentatae prorsus ignoremus; repraesentatio nostra tamen imaginatio id propter non est, & id tantum quaeritur, num sit necessaria nec ne.

vere praesente habere, quia illam nobis *necessario* re-
praesentamus, & *veram absentiam* ejus, quae *prae-*
sens esse videtur, inde colligere, quod illam non *ne-*
cessario, sed *arbitrario* nobis repraesentemus. De
systematibus nunc, ut dicamus, quae nostra sit sen-
tentia, restat. Mandemus litteris cogitationes ali-
quot dierum, eo ordine, quo sibi in intellectu suc-
cedunt, & animadvertemus, illas ita sibi successisse,
velut homines alii aliis partim ignoti, partim noti,
diversis ex causis in foro conveniunt. Attamen
omnes cogitationes nostrae vel ideae exprimunt uni-
versum unum idemque, sed modis infinite variis re-
praesentabile. Infinitos ergo in modos & variant,
& variari possunt cogitationes nostrae. Omnes il-
lae cogitationes, quotquot in intellectibus finitis re-
periuntur, a natura ipsa, nexui rerum convenien-
ter, connexae sunt. Existit igitur systema cogita-
tionum vel veritatum a natura ipsa conditum. Alius
tamen est nexus idearum; alia idearum successio.
Idea, quarum aliae ex aliis intelligi possunt, non
propterea ita sibi succedunt, ut idea sequens sem-
per ex immediate antecedente intelligi possit. Cum
ergo ideas nostras selegimus, ita ut ideae, ex qua
altera intelligi potest, semper haec altera jungatur,
sibi ergo eo modo succedant, quo sunt connexae:
selectum hunc *systema* appellamus. Sed supersunt,
quae non possunt connecti cum reliquis: Cogitatio-
num autem, quas cum serie quadam cogitationum,
quas selegimus, alteram cum altera connectentes,
connectere non licet, aliam constituimus seriem, il-
las cum se invicem connectentes. Hinc oriuntur
duo systemata diversa & a se invicem independentia.
Necesse est, ut cogitationes adhuc intermediae sint,
quarum ope duo haec systemata jungi possint. Sed

latent nos intermediae illae. Illis inventis fines intellectus nostri inventi sunt. Non loquor autem hoc loco de systematibus arbitrariis, quae systemati illi intermedio, quod *systema connectens* appellari posset, substituiimus; quorum autem vel *optimo* naturali illi realive substituto, fines intellectus nostri nequaquam determinati sunt. Hinc autem gravissimi errores nascuntur, cum, quae cum reliquis connecti nequeunt, pro impossibilibus habeantur, quamvis non possibilia tantum sint, sed vere etiam existant. Verum in errores non minus graves incidimus, cum *possibilia cum realibus* confundimus, quo fit, ut omnia incerta esse videantur, si comparantur, quae existunt, & qualia vere existunt, cum systematibus nostris. Quenam sit ratio horum errorum, jam exposituri sumus. Primum generaliter notemus, philosophos, systemata condentes, in eo potissimum elaborare, ut plures cogitationes in unam cogentes plura sibi simul repraesentare possint; tum ut cogitationes vel *ideas, causas rerum repraesentantes, & principia* forment, quae non nisi cogitationes vel *ideae* sunt *compositae*, quarum partes *ideae* sunt *se mutuo ponentes*; ultimo in eo occupatos, ut ubique, ubi ad id occasio se illis offert, fines intellectus nostri determinent. De *abstractionibus* ergo sermo est, de quibus haec notentur velim. *Abstractiones* generaliter sunt operationes animae, si sibi res, vel intellectu, vel sensibus perceptas, objective ut possibiles vel absentes repraesentat, ad quas res ergo & operationes intellectus ipsae pertinent, quatenus repraesentantur *objective*. A rebus enim nobis *presentibus*, sive extra nos, sive in intellectu nostro tantum existant, velut operationes intellectus ipsae *possibilitatem* mente sejungimus vel *abstrahimus*, cum omnino fieri non

possit, ut illas res ut *absentes* alio tempore nobis repraesentemus, nisi alio tempore ab ipsis *praesentibus* *possibilitatem* mente sejunxerimus. Itaque *ideae abstractae*, generaliter loquendo, *ideae* sunt *possibilitates* rerum repraesentantes: hae autem *abstractiones*, sine quibus nulla res unquam a nobis ut *absens* repraesentari posset, *necessario* fiunt, probe ergo distinguendae ab illis, quae fiunt *arbitrario*. *Uterius* autem vel *speciatim* abstrahimus, quando *possibilitatem* a re *generaliter abstractam* tanquam Totum in partes dividimus, illasque partes *figillatim* consideramus. A pluribus rebus, vel individuis, simul repraesentabilibus, vel quorum repraesentationes in unam cogi possunt, *possibilitatem* si abstrahimus, *idea* haec abstracta *similitudinis possibilis* eorum repraesentatio est. Si ab effectibus *possibilitatem* abstrahimus, *idea* nostra abstracta repraesentat causam. Subsistamus hic aliquantisper, notantes: primum *possibilitati*, ab *existentia abstractae*, rem existentem non eodem prorsus modo respondere, quo res praesens ejus repraesentationi *necessariae* respondet. Ejusmodi ergo *possibilitas*, si *existentia* donaretur, non prorsus *eadem* foret, a qua mente sejuncta fuit. Si tanquam Totum, in partes divisum, consideramus *possibilitatem* a re *generaliter abstractam*, & partes ejus *figillatim* consideramus, quae propter formam repraesentationis nostrae, a *modo abstrahendi* pendentis, tum *necessario* vel *conjungenda* vel *tollenda* sunt, propterea ita se non habent extra intellectum. Si ope *abstractionis* plurium rerum *similitudinem possibilem* mihi repraesento, quae in *abstractione* vel *intellectu* sunt *eadem*, non prorsus *eadem* sunt extra illum. Si igitur, quae in ente A. sibi mutuo non repugnant,

confidero, & quaedam eorum in ente B. C. &c. pono, quae pono in ente B., quamvis *eadem* in intellectu, non prorsus *eadem* sunt *realiter* posita in A. Diximus, ab effectibus possibilitate abstracta, ideam nostram abstractam repraesentare causam. Ex effectu enim omnino intelligimus, non solum quod existat causa, sed *partialiter* vel quodammodo etiam, qualis sit. Aliud autem est, si possibilitatem ab existentia *effectus tantum* abstrahimus, abstractioni nostrae formam dantes ideae, causam repraesentantis; & omnino aliud est, si a causa ipsa, nobis praesente, possibilitatem abstrahimus, i. e. causam vere existentem nobis ut *possibilem* repraesentamus. Generaliter ergo loquendo a *substantiis ipsis* nunquam abstrahimus: sed tantum a *relationibus* substantiarum. Verum hic distingendi adest ratio. Sunt enim *abstractiones Naturae ipsius* a nostris omnino diversae, quae ita se habent: Natura nempe a substantiis primum *intelligibilia* sejunxit, vel abstraxit, cum in intellectu nostro vel alio quocunque, finitudini & gradibus finitudinis ejus convenienter, *ideas* posuit, quas recte *innatas* appellamus, & earum ratione habita, quas ad exemplum illarum formamus, *exemplares*: tum sejunxit a rebus sensibilibus *sensibilia*, ope *organorum*, quibus corpora quaedam instruxit. Sic Natura ab igne ipsa abstraxit vel sejunxit primum *lucem*, ope unius sensuum nostrorum organi nempe, quod vocamus oculum: tum vero etiam *calorem*, ope sensus, quem vocamus tactum. Eadem autem Natura *indissolubiliter* quoque *copulavit*, quae si separamus, in gravissimos incidimus errores. Sic *non esse* male abstrahimus a rebus in casibus, ubi id non licet, ubi nempe non attendimus, quod tamen considerare deberemus, naturam cum

$\tau\acute{o}$ esse indissolubiliter copulasse qualitatem quamdam, diversam pro diversitate eorum, quae sunt. Casus ergo distinguendi sunt, ubi $\tau\acute{o}$ esse *concretive* tantum est considerandum. Sic *grammaticae* abstrahimus, quae *philosophice* abstrahere non licet, cum a *subjecto quodam* abstrahimus *simplicitatem, infinitatem, finitudinem*, quae tamen Natura indissolubiliter cum *subjecto* copulavit, ita ut abstrahi nequeant: non enim *inexistunt* *subjecto*, sed *conficiunt subjectum ipsum*, cui alia inexistunt. Hinc dici non potest, quanti oriantur errores. Verum distinguere pergamus, quia licet, & ipsa rerum id postulat ratio. Generaliter *absolutum* dicimus, quod *tale, quale* dicitur esse, est in se spectatum, i. e. independentem ab alio: *relativum*, quod *tale, quale* esse dicitur, *propter comparationem* tantum, vel dependentem ab alio est, ubi nempe duas pluresue res inter se comparo, & qualitates illis tribuo, quae nulli earum soli tribui possent, quas ergo dependentem a comparatione habent. Res absolutae autem sunt substantiae; *pure* absolutae, quales repraesentantur ab intellectu infinito. Cum autem necesse habeamus, cuicumque *relativo* semper *supponere* vel *substernere absolutum* quid, e quo, tanquam e firmamento, pendeat; substantiae tamen ipsae nos lateant, & certo sensu in infinitum; nos *absolute* hoc tantum sensu aliquid considerare valemus, ubi vel *substantiae purae*, quamvis a nobis nondum cognitae, rationem tamen habemus, de qualitatibus rerum iudicantes, & theoriam entis condentes, separantes ergo, quae in substantiam puram non quadrant, a qualitatibus illis, quas res dependentem tantum a repraesentationibus nostris habent; vel ubi res generaliter consideramus, quales sunt extra intellectum

nostrum, vel quales a nobis necessario repraesentantur, quo sensu repraesentationes nostrae *necessariae* ideae vel notiones *absolutae* sunt, quatenus comparantur cum non necessariis; *non necessariae, relative* sunt, cum necessariis comparatae: pari ratione *absolute* quoque consideramus, quae *concretivae*, eorum ratione habita, quae natura indissolubiliter copulavit; *relative* autem, quae *abstractivae*, mente separantes, quae natura copulavit, mere ergo *idealiter* substituunt *realibus*. Relationes enim quas res habent ad se invicem, sunt vel *reales*, vel *ideales*. A refertur *realiter* ad B. si A aliquo sensu propter B vel B aliquo sensu propter A existit, ita ut in B. aliquid *realiter* propterea ponatur, quia in A aliquid *realiter* ponitur, quod in illo non poneretur, nisi alterum in B ponendum fuisset. In B est ergo aliquid, ex quo necessario intelligitur, praeter B esse adhuc aliud, in quo positum sit, quod illi respondeat. Sic meae existentiae mihi conscius ex hac conscientia necessario intelligo, existere universum, cuius sum pars. Relationes autem *ideales* sunt, quae a modo tantum *abstrahendi* pendent, si ideas ita connectimus, ut altera sine altera concipi nequeat, quamvis res, quas ideae exprimunt, extra nos non ita connexae sint; vel separamus, quorum alterum re vera sine altero concipi nequit, ita ut alterum sine altero nunc concipiatur: quae omnia ergo, *rerum ipsarum* ratione habita nulla, a modo abstrahendi vel a forma repraesentationis vel conceptus nostri pendent. Notiones ergo *relativae* sunt vel *subjectivae* vel *objectivae* tales. *Subjectivae* tales sunt respectu relationum, quas res habent praecise ad vim nostram repraesentativam; *objectivae* autem tales, quatenus *relationes*, tam reales

quam ideales sunt tantum objecta idearum nostrarum, a quibus *relativae* denominantur. Notiones ergo *objective* relativae iterum vel *realiter*, vel *idealiter* relativae sunt. *Realiter relativis* supponi vel substerni potest *reale*, & *absolutum*; *idealiter relativis* autem non. Repetantur hoc loco, quae supra de abstractionibus Naturae ipsius diximus, cum nempe *intelligibilia* successive intelligimus, vel representamus, natura ipsa abstrahente; *sensibilia* autem variis sensibus percipimus, velut oculo lucem, tactu calorem; natura ergo non minus ipsa abstrahente: repetantur etiam, quae de iis diximus, quae natura ipsa indissolubiler copulavit, quae ergo *concretivae* tantum consideranda sunt, quamvis mente separari possint, realibus in *possibilia* vel *idealiter tantum* formatis: quod si facimus, casus tamen distinguendi sunt, ubi id, veritate inde nil detrimenti capiente, fieri possit; ubi non: in primis autem de *oppositis contradictoriis* notanda sunt, quae sequuntur. Opposita contradictoria definiuntur, quod sint, quorum unum semper admittendum, & alterum necessario negativum sit, quaeque, cum duo tantum esse ab omnibus ponantur, tertium vel medium omne necessario excludant. Haec autem opposita non sunt nisi notiones *negative* abstractae & mere relativae. Hic modus res concipiendi vel determinandi ideas, in substantiam puram sane non cadit. Est mere artificialis, & omnia pendent a modo vel usu loquendi. Primum enim loco duorum oppositorum contradictoriorum una tantum res hic consideranda venit, *se ipsam negans* vel *tollens*, ergo possibilitate existendi se ipsam privans. Sic $\tau\delta$ non-esse est $\tau\delta$ esse ipsum, se ipsum negans vel tollens, & $\tau\delta$ esse, quatenus opponitur $\tau\delta$ non esse

est negatio τὸ non-esse vel nihili; grammatice ergo tantum est aliquid; non philosophice. Nec unum ergo nec alterum oppositorum contradictoriorum re vera existit, modi, quo oriuntur opposita contradictoria, ratione habita, quippe quae oriuntur, una re posita, quae se ipsam negat, vel tollit, ita ut oriatur B ex negatione τὸ A i. e. ex nihilo; & A vicissim ex negatione τὸ B i. e. ex negatione negationis, ex nihilo nihili. Sunt enim notiones *negative relativity*, quarum utraque pendet ex mutua negatione. Unum enim ponitur, & iterum tollitur, & sublato iterum substituitur. Ut exemplo denuo utar, substituamus τὸ A & τὸ B, illi *non-simplex*, huic, *non-compositum*. Nec unum nec alterum existit; quod ex negatione simplicis oritur, nihil est; quod ex negatione compositi quoque, nihil. Ex hisce praemissis facile dijudicari poterit propositio illa: *Omne possibile est aut A, aut non A, aut neutrum*. Per neutrum intelligitur A & Non-A; A. autem & Non-A est nihilum vel nihil: ergo medium excluditur, & hinc propositio illa appellatur principium exclusi medii vel tertii. Verum non A & Non-A simul solum, sed etiam Non-A solum est nihilum & contradictorium, cum Non-A sit A ipsum, se ipsum negans vel tollens, ergo Non-A sit id neutrum ipsum, quod hic A & Non-A appellatur, & nihilum est. Cum ergo Non-A non minus ac A & Non-A simul nihilum sit, & omne possibile non potest esse aut A aut Non-A cum esse nequeat, quod nihilum est, & nihilum non sit praedicatum, quod ulli subjecto convenire queat, nisi subjectum quoque sit nihilum, ita ut nihilum (praedicatum) de nihilo (subjecto) praedicetur. Etiam si ergo grammatice recte dicam: *Omne quod est, aut est, aut non est,*

philosophice tamen res aliter se habet, cum praedicatorum, quae contradictoria vocamus, unum vel alterum semper sit nihilum, nihilum autem non possit praedicatis in sensu philosophico accenseri. Sic non compositum, non-simplex, non-infinitum, non-finitum, reliqua, idem sunt ac A & Non-A, i. e. nihilum, cum sit compositum se ipsum negans vel tollens, simplex se ipsum negans vel tollens, reliqua. Si ergo dico: omne quod est, est aut Compositum, aut non; si posterius sumo, de subjecto: *omne, quod est*, nihilum praedico: de nullo autem subjecto nihilum praedicari potest, vel nulli subjecto convenit hoc praedicatum, quia non est praedicatum. Idem ergo est, ac si dicerem: *omne, quod est, est compositum*, vel *omne, quod est, est A*. Propositio ergo illa: *omne, quod est, est A* i. e. unicus tantum omnium rerum est *existendi modus*, e. g. omne quod existit, est compositum, & propositio illa, quam principium *exclusi medii* vocant: *omne, quod est, est vel A. vel Non-A, vel neutrum*, (quod autem est nihilum) sunt propositiones identicae, quarum cum una falsa sit, & altera necessario falsa est: propositio enim falsa, & altera propositio est eadem propositio. Non admitto ergo *principium exclusi medii*, cum sit falsissimum, vel *grammaticae* tantum, ut ita dicam, *verum*; philosophice autem *falsum*. Cui autem principio sublato substituo aliud, quod *principium rerum divisionis vel enumerationis* appellare juvat, hanc nempe propositionem: Omne quod est possibile vel existit, generaliter est A, ita ut $\tau\omega$ A. substitui possint quaecunque res tot diversarum qualitatum, quot fines naturae, quos autem determinare non audeo, permittunt; vel tot rerum varii existendi modi, quot sunt possibles; me autem ad-

huc ignorante, nec determinare audente, quot sint
possibiles. Sic v. c. τὼ A substitui possunt, spiri-
tus, corpus, elementum, vel simplex, compositum,
aliave natura, aut adhuc incognita, aut a me dete-
cta, & reliqua, quae, nec intellectus nostri nec
naturae ipsius finibus adhuc inventis, determinare
non possumus. Ex quibus omnibus autem abunde
patet, quid intelligamus sub *notionibus illis relativis*,
tot errores parientibus, quarum beneficio quod-
cunque fere systema condi potest. Necessè ergo
est, ut semper rei, qualis extra intellectum vere ex-
sistit, & modi nostri cogitandi vere naturalis ratio-
nem habeamus, tollentes notiones factitias illas vel
relativas, si errores inde nascuntur, alias nec evi-
tandi, nec palam faciendi. Non sunt ergo nisi *re-*
lativa, quae cogitamus, quaecunque a *modo* tantum
abstrahendi pendent, non a natura determinato, sed
libertati nostrae relicto, quorum alterum quidem
ex altero intelligitur, & demonstratur, sed tantum-
modo quia ita a nobis in abstrahendo connexa sunt,
aliter abstracta & connexa, aliter se habitura. Quo
fit, (ut jam notavimus, & repetere liceat, quae re-
petenda videntur), ut relative vel abstracte confide-
remus, quae *concretive* tantum & hoc sensu absolu-
te considerata sunt. Hinc gravissimi errores. In-
finitas e. g. (repetere hoc liceat) non est attributum
alicujus entis, sed subjectum, cui inexistunt, quae
ejusmodi enti inexistunt. Quae ex regulis gram-
maticis sunt attributa vel praedicata, velut *simplici-*
ras, *infinitas*, *fnitudo*, ideo ex regulis philosophiae
talia non sunt. Philosophus ergo, verbis non de-
ceptus, propositionem: *Ens infinitum est simplex*,
enuncians, haec cogitat: repraelentantur a me at-
tributa vel qualitates a, b, c, quarum subjectum est

A, cui signo A autem substitui possunt *termini* vel *simplicis* vel *infiniti*, re vera *synonimici*. Abundant ejusmodi notionibus abstractis & relativis, systemata, ad quae redimus. Jam autem systematum conditoribus praeterea & potissimum vitio vertitur, quod causis rerum illos latentibus substituunt notiones factitias, & non distinguunt, quae tantum propter modum abstrahendi vera sunt: falsa alias. Ego vero meam de systematibus nunc brevissimis dicam sententiam. Qui systemata plane improbant, vel sese & nos soli relinquunt phantasiae, vel nobis permittunt saltem, ut cogitationes naturales, quibus factitias opponunt, connectamus & eo ordine disponamus, ut nexus illarum ratione cognosci possit. Eo enim ordine, generaliter loquendo, in intellectu, sibi ipsi ut ita dicam, relicto, sibi non succedunt. Qui ergo, systemata improbant, tantum improbant tot definitionum inutilium abusum, demonstrationum demonstrationes, tot absurditates terminologicas, tot synonymias, in eadem mecum sunt sententia. Qui porro per systemata, quae rejiciunt, intelligunt philosophiam experientiae oppositam, experientiam tamen non ad res sensibiles tantum restringentes, illorum subscribo sententiae. Accedo denique illis, qui queruntur, philosopho systemata condentes (generaliter hic loquor) notiones nostras eo jam determinare modo, quo, finibus intellectus nostri inventis, demum determinari & possent & deberent, vel necessario determinandae forent. Hinc demonstrationes veritatum, quae nondum demonstrari possunt: hinc definitiones reales, sed falsae & arbitrariae, sub definitionibus nominalibus latentes; hinc tot res omisae, vel a systemate remotae, in quas definitiones systemati accommodatae non quadrant,

vel quas definire non licuit. Hinc denique petenda est ratio, cur sapere audentes ultimo animadvertant, se loco Logicae Grammaticam philosophicam, loco ontologiae, Vocabularium philosophicum didicisse. Haec praemittenda esse duxi. Quae autem diximus, argumentis sane confirmata, quorum autem aliqua curis reservamus posterioribus, nemini obtrudimus. Palam fient illis, qui nos cogitantes, & plurima lectoris meditationibus relinquentes, cogitantes vel meditantibus sequentur. Id tamen lectorem latere nolo, me in opusculo, quod illi offero, definivisse vel determinasse plurima, in Commentatione mea de animorum natura (*Versuch über die Seele*), quantum tum temporis licuit, exposita. Dubia, quae Viris quibusdam eruditissimis novum id meum systema fecerat, me soluisse persuasissimum habeo, quibus Viris, celeberrimis & Doctissimis, in primis PLATNERO & HENTSCHIO, aliisque forte, quibus debemus elegantissimos illos Commentarios Lipsienses, quod contra me disserentes tam humaniter fecerint publice gratias ago. Admiror potissimum, mihi quamvis non contingat, illos imitari, illorum latinitatem, CICERONIS temporibus haud indignam. Latine omnino cogitavi, haec litteris mandans; legi CICERONEM; sed legi etiam WOLFIIUM. CICERO tamen ipse, ab inferis existens, non profus improbaret latinitatem novam, in primis Metaphysicorum. Curandum enim nobis est, natione Germanis, ut intelligamur ab illis, qui latina legentes, non latine, sed germanice cogitant. Notiones nostrae abstractae naturae linguae nativae, qua utimur, nobiscum ipsis intime colloquentes (*cogitantes, quantum cogitatio est sermo intimus*) convenienter formantur. Fieri ergo non potest, quin inde (*de Germa-*

nis loquor) nascantur Germanismi philosophici, a grammaticis distigendi. Saepe adversarii latinitatem, ut imitemur, cogimur. Praeter ea autem, quae in Commentariis Lipsiensibus modo laudatis, & in Actis eruditorum mihi opposuere Viri doctissimi, pervenerunt in manus meas dissertationes, quarum una inscribitur: *De anima humana, non mediis generis inter simplicem & compositam substantiam*, altera de *possibilitate entis simplicis finiti*, quarum auctor est Cl. HASEUS, & alia adhuc de *limite animae humanae*, Praeside Celeberrimo PLOUQUETO philosopho subtilissimo TUBINGAE habita. Eorum, quae Viri illi doctissimi, quorum modestia omnium lectorum procul dubio movebit approbationem, mihi opposuerunt, omnino rationem habui, in hoc opusculo scribendo occupatus, oppositiones, quae alicujus momenti sunt, ubique repellens, adversariorum quamvis mentione facta nulla. Haec paucissima tamen silentio praeterire nolui. Cl. HASEUS contra possibilitatem mediae illius naturae, a me detectae, quae illi ens *composito-simplex* appellatur, differens, ubique supponit, partes hujus enti composito-simplicis *non alio modo* extra se positae esse posse, ac eodem, quo substantiae extra se positae esse concipiuntur; cuius ergo harum partium *propriam* existentiam, *propriumque* locum assignat. Verum cum substantiae extra se positae sint, ut Totum extra Totum; hic autem *partes illae* extra se positae sint *necessario* ut partes (*verae, absolutae*) extra partes, non autem ut Totum extra Totum, cum potius pars eo sensu hoc loco accipiatur, quo absolute opponitur Toti; cum denique nulla earum extra Totum unquam existere queat: cuius hinc facile patet, quid *hoc loco per τὸ extra se positum esse, & τὸ sine alio en-*

fistere non posse intelligatur, nec partes illas composito simplicis, extra se positas, sed necessario coexistentes, cum substantiis, extra se positis ut Totum extra Totum, & eodem, quo extra se invicem posita sunt, modo coexistentibus, quarum ergo alia sine alia & existere & concipi potest, i. e. quarum nulla est pars alterius, unquam confundent rei scientes. Quod ad impossibilitatem substantiae simplicis finitae adinet, Cl. HASEUS simplicitatem & infinitatem ubique separat, cum tamen separari prorsus nequeant, sed de subjecto, de quo simplicitas praedicatur, necessario quoque vel infinitas vel finitudo praedicanda sit, cum simplicitas ipsa sit vel haec infinitas, vel haec finitudo. Abstracte ergo considerat, quae concretive necessario considerata sunt, & ut praedicatum considerat, quod est subjectum ipsum. Jam de infinitate cum simplicitate necessario connexa constat; finitudo ergo cum simplicitate nullo modo connecti potest. Contra simplicium perfectam similitudinem, si plura ex hypothese ponuntur, haec differit Vir doctissimus, ajens, similia esse, quibus communes sint qualitates; dissimilia, quae habeant qualitates non communes; a comprehensione autem characteristica partiali ad totalem consequentiam non valere, proptereaque similia ratione comprehensionis characteristicae partialis non esse ex necessaria consequentia similia ratione totalis, sive posse esse dissimilia ratione reliquarum quarundam qualitatum: restare enim posse in ente existente qualitates, quae in conceptu generico non comprehendantur, adeoque similia ratione conceptuum genericorum non ideo praedicanda esse similia ratione totalis suae characteristicae comprehensionis, sive perfecte similia, i. e. posse esse dissimilia. Ego vero nego & pernego, simplicitatem, esse tantum conceptum genericum,

ricum, omnes substantias simplices, ut individua, comprehendentem. Conceptus enim ille genericus oritur ex contemplatione rerum singularium *inter se dissimilium*, in quibusdam tamen *similium*; res ergo in quibusdam *sui dissimiles* omnino supponuntur, si conceptus genericus est *partialis* entis *comprehensio* *characteristica*. Dn. Adversarius meus supponit ergo genera vel species simplicium, quae ego, *plura simplicia sibi perfecte fore similia*, asserens, nego; vel ita ratiocinatur: *positis simplicibus, ponuntur individua; positis individuis, species vel genus: conceptus genericus autem est partialis entis comprehensio characteristica: secundum conceptum genericum ergo tantum simplicia sibi similia sunt, non autem ratione totalis ipsorum characteristicae comprehensionis*. Verum *positis individuis perfecte similibus* non ponitur genus, quod abstrahitur ab individuis *in quibusdam similibus, in reliquis dissimilibus*. Ego ergo individua perfecte similia mihi repraesentans, secundum conceptum genericum illa sane non considero. Repraesentato autem mihi individua (*simplicia*) perfecte similia, quia necessario unum tantum individuum (*ens simplex*) mihi, *sed plus vice simplici* repraesentato, quod signo: A, notare liceat. Plura ergo ponens simplicia, nil ago, nisi ut idem A plus vice simplici mihi repraesentem. Nec alia via me ducit ad *pluralitatem* simplicium. Mihi ergo non licet possibilitatem dissimilitudinis simplicium, ergoque species illorum supponere, vel secundum conceptum genericum illa considerare *. Haec suffi-

* Si OMNIA entia in quibusdam dissimilia esse POSSENT; perfecte similia impossibilia forent. Perfecete enim similia in quibusdam dissimilia esse nequeunt. Perfecete autem si-

cient. Reliqua ex opusculo ipso discenda sunt. Doctissimus Auctor dissertationis tubingensis rem claram argumentando sequentem in modum dubiam facere studuit: *unum, ait, tantum existit ens illimitatum; plura existere entia simplicia supponit: ergo id obtinere vult, ut existant entia simplicia, quae non sint illimitata.* Ego vero ipsa natura admonente mihi persuasi, unicum tantum ens simplex, idque necessario infinitum, concipi posse, & argumentis, quae de impossibilitate entis simplicis finiti, dixi, confirmavi. Jam fac, probare quemquam ad ex-

milia concipi possunt; sunt ergo, quae in quibusdam dissimilia esse nequeunt. Non omnia ergo entia in quibusdam dissimilia esse possunt. Conceptus ergo genericus non in omnia quadrat entia. Cum ergo ex simplicitate non adpareat, simplicia in quibusdam dissimilia esse posse, simplicitas in se spectata tantum conceptus genericus esse dici nequit. UNA autem simplicitate posita, EADEM toties ponitur, quoties ejusmodi ens ponitur; illa autem posita omnia, quae in ente simplici poni possunt, necessario simul ponuntur. Verum nec hoc sensu simplicitas conceptus genericus est, quo, si necessario a pluribus individuis simplicibus abstrabenda sit, talis dici posset: simplicitatis enim notionem formans plura individua simplicia mihi repraesentare necesse non habeo. Qui ergo simplicitatem conceptum tantum genericum esse dicit, non probat: possibilitatem dissimilitudinis simplicium supponit, non probat. Realiter diversa, e genere inexistentium, concedo tantum, quatenus unius substantiae partibus extra se positis inexistunt. Simpliciter autem realiter diversa inexistere nequeunt. Obstat simplicitas. Esi igitur memoria & ratio, quatenus animae inexistunt, non sunt partes animae extra se posita, & hoc sensu forte realiter diversa, licet extra se non posita: partibus tamen extra se positis, quae Totum animae conficiunt, inexistunt, & hoc sensu sunt extra se posita. Ex realiter enim diversis substantiae, cui inexistunt, compositio necessario colligitur, nec Auctor, simplicibus talis inesse posse, probavit.

emplum meum, fieri non posse, quin plures existant substantiae; alium autem, SPINOSAM defensurum, ita ratiocinari: suppono unicam tantum esse substantiam; quae ergo praeter illam existunt, nullo modo substantiae esse possunt, sed necessario attributa tantum, modi, reliqua: evici ergo, substantias non esse, de quibus ut tibi persuasisti, fieri prorsus non posse, quin sint substantiae. Quod iudicium de hoc argumentandi modo erit ferendum? Aliud est, si supposita unica substantia palam fieri potest, quomodo possibile sit, ut, cum plures substantiae necessario admittendae esse videantur, quae pro substantiis necessario, ut nobis videtur, habemus, non obstante nostro concipiendi modo, attributa esse possint vel re vera sint; aliud, si hypothesi quamvis admissa, ille finis obtineri nequit. Pari ratione aliud est, si posito unico ente illimitato, & positis pluribus simplicibus, palam fieri vel explicari potest, quomodo substantia simplex, quam omnino limitationis impatientem esse probavimus, beneficio harum hypothesium limitationem admittere possit, ita ut argumenta mea refutentur, quibus meam de impossibilitate simplicis finiti confirmavi sententiam; aliud est, si id tantum obtinetur, necessario, his positis, limites admittendos esse, argumentis contrarium probantibus non refutatis. Quid enim inde colligendum, nisi quid falsum & verum simul esse posse? Ego vero optimo jure ita, quae sequuntur, connecto: si unicum tantum est ens illimitatum; plura non existunt simplicia contra hypothesin: si plura existunt simplicia: unicum non est ens illimitatum contra hypothesin. Simplicia enim A posito, simplicia B C D, reliqua oriun-

tur, cum idem A plus vice simplici ponitur. *Una tantum simplicitas est, non diversa, & quae ponuntur, posita simplicitate, eadem semper, quotiescunque ponitur simplicitas, necessario ponuntur.* Res ab una parte considerata, ab altera nunc considerata est. Tollamus substantiam simplicem illimitatam: reliquae simplices eruntne, hac sublata, adhuc limitatae, nec ne? Si prius; limitatio illarum independenter a suppositione substantiae illius *limitantis* ex ipsa simplicitatis essentia vel natura demonstranda est: qua autem demonstrata, omne simplex esse limitatum necessario consequitur. Sin posterius; sane contra sententiam Dni. mei Adversarii substantiam illimitatam ab alia illimitata limitari posse consequitur. Doctissimus meus Adversarius omnia fere vel potissima argumenta, sententiam meam confirmantia, concedit, sed distinguit inter simplicitatem *primitivam absolutamque & derivativam*, & ita satis subtiliter distinguens se distinguit simul a reliquis meis Adversariis. Ego vero ita ratiocinor: pono ens, de quo nondum quaero, num sit primum & absolutum, vel secundum & derivativum quoddam ens, vel num & quomodo referatur ad alia. Considero in hoc ente simplicitatem, qua intimius perspecta comperio, illam involuere vel in se continere non-limitabilitatem. Hinc colligo ens illud, quod simplex nunc appello, non dependere ab aliis, nec ullum aliud illo prius esse posse, esse ergo ens primum & absolutum. Ex hoc porro colligo, quodlibet ens simplex, si plura ponerentur, esse ens primum & absolutum, quo nullum nempe, quod ad existentiam, prius est; quod autem si impossibile foret, pluralitatem quoque en-

tium simplicium impossibilem esse. Nisi enim praeter id, propter quod substantia est simplex, aliud in illa realiter ponatur, propter quod sit prima & absoluta (quo posito autem partes ponuntur), res ipsa omnino loquitur, *id*, propter quod substantia est simplex, esse *idem id*, propter quod sit prima & absoluta; propter simplicitatem ergo substantiam primam & absolutam, vel infinitam esse. Si propter infinitatem est simplex; propter finitudinem simplex esse nequit: vel, quod propter infinitatem simplex est, propter simplicitatem est infinitum. Restat, ut oppositionem repellamus sequentem. *Simplicia, si plura ponuntur, sui sunt conscia. Jam sui conscius esse, nil aliud est, ac se ab aliis discernere. Quibuscunque autem aliquid inest, per quod se mutuo discernere possunt, illa nequeunt esse similia. Plura ergo simplicia nequeunt esse similia. Minime. Ego enim, meae mihi conscius existentiae, Egoitatem meam, i. e. me ipsum mihi repraesento, nec necessario aliud simul mihi repraesento, a quo me discernam, quamvis (quod tamen non est hujus loci) ex repraesentatione Egoitatis meae necessario colligam, alia adhuc existere. Si autem aliud, quod non est ego, mihi repraesento; tunc necessario illud distinguo a me ipso, sed praecise tantum ut aliquid, quod non est Ego. Id aliquid autem, quod non est Ego, substantia meae substantiae perfecte similis esse potest: sufficit, quod illam, hac perfecta similitudine non obstante, cum mea substantia non confundam, quia duas semper in hoc casu, non unam substantiam mihi repraesento. Id autem, per quod duo ut duo distinguuntur, duorum horum perfectae similitudini non nocet. Sed etiam hoc modo oppositionem repelle-*

re licet. Pone plura entia, sui conscia, necessario esse dissimilia. Haec autem entia vel sunt simplicia, vel non. Si prius: perfecte sibi similia erunt contra hypothesin: probavi enim simplicia, si plura ex hypothesi, impossibili tamen, ponerentur, necessario perfecte sibi similia esse. Ergo posterius admittendum est, plura nempe entia sui conscia adeoque dissimilia non esse simplicia. Auctor doctissimus postremo loco ens illud *medium*, nec simplex, nec compositum, sequentem in modum impugnat: *partes nempe ejus entis ex mea mente ita existere ponit, ut A existat extra B, in B autem nulla ratio existentiae τ& A sit: quaecunque autem extra se invicem ita existant, ut alterum in se nullam rationem habeat existentiae alterius, illorum alterum sine altero existere posse, adeoque illa non necessario & semper coexistere debere ergoque substantias esse.* Verum auctor, mentem meam, quod tamen pace illius dixerim, non satis cognitam & perspectam habuit. De plane alio ente loquutus sum, cum quo nolui ut confundatur ens meum *medium*. Distinguo inter *inexistentia* & *necessario coexistentia*: substantia ratione *inexistentium* idem est ac *subjectum*; in comparatione ad *necessario coexistentia* autem idem, ac *Totum* in comparatione ad partes, ex quibus constare dicitur. Pars B non potest esse pars partis A alias enim A; foret Totum, non pars; nec potest esse effectus, cujus A sit causa, tunc enim ille effectus vel inexistereτ& A vel extra illud existeret. Priori casu A foret subjectum τ& B; posteriori autem, B, non minus esset Totum ac A & subjectum, cui alia inexistere possent. Nec A ergo est Totum, nec B est Totum, nec alterutrum est subjectum, cui inexistere

stat alterum. Nec A ergo est substantia, nec B. Sed A est compars partis B & B compars partis A & ex utroque simul intelligitur necessitas coëxistentiæ. Quæ autem extra se ita existunt, ut alterum in se nullam rationem habeat existentiæ alterius, illorum alterum *sine altero tunc demum* existit vel existere potest, si utrumque est Totum: existunt enim sine se invicem, quorum alterum non est *pars* alterius, quia est Totum: quorum alterum autem non propter hanc rationem, *quia est Totum*, pars alterius non est; sed quorum alterum non est pars alterius, quia & unum & alterum est *pars*, ita ut B sit *pars*, sed non τ& A & A sit *pars*, sed non τ& B i. e. A & B sint *compertes*, simul sumtæ Totum conficientes: eorum quoque alterum sine altero nullo modo existere potest, cum pars (absoluta, quæ Toti opponitur) non possit existere extra Totum, i. e. sine reliquis, quibuscum Totum conficit, vel, quod idem est, cum nulla *compars sine compartibus* existere possit. *Totum sine Toto*, sed nunquam *pars sine parte* existit. Haec sufficiant; reliqua exposita sunt in opusculo ipso. Viris autem illis doctissimis magnam & modestiæ & humanitatis laudem nemo non tribuet, qui legerit, quæ contra me disseruerunt. Sciat autem B. L. quem considerationes meas metaphysicas lecturum amplius morari nolo, hæc considerationes illis praelucentes a me demum litteris mandatas esse, cum metaphysicæ typis jam exscriptæ essent. Ne miretur ergo, si alia fufius hac oratione præmissa pertracto, quæ *illius loci* fuissent, alia autem vel hic vel ibi repetuntur. Sæpe me mihi ipsi dicere oportet; Res postulat; tempus non fert. Conatibus nostris philosophicis

(56) CONSIDERATIONES PRAELUCENTES.
negotia obstant civilia, quibus, velut gaudia curis,
interdum ejus generis meditationes interponimus, id
curantes, ut otiosi etiam profimus, si occupati pro-
fuimus aliquid civibus nostris. Placeat nunc, quos
summe veneror, aetatis nostrae philosophis, confi-
derationes meas metaphysicas, memores semper, il-
las esse *meas*, cum suis aliorumve systematibus con-
ferre, & opposita, iuxta se posita, ut ajunt, cla-
rius elucescent, patebitque, spinosiorum praeser-
tim capitum philosophiae ratione habita, num quid
majoris evidentiae nostra attulerimus industria, tan-
tum nobis semper persuadentes, quantum natura
admonente cognoscimus.





§. I.

DE REBUS (ENTIBVS) GENERATIVIM
ATQVE VNIVERSE CONSI-
DERATIS.

QUODCVNQUE in cogitationem nostram cadit, appellatur mihi ALIQVID (*late dictum*) vel POSSIBILE; quod plane cogitare non possumus, IMPOSSIBILE. Distinguendum tamen est inter ea, quae a nullo plane intellectu repraesentari possunt, & quae a nostro, aliove simili tantum repraesentari nequeunt. Si existentiae rationem habeo, possibile appello, *cui existentia non repugnat*. Quod in intellectu tantum existere dicitur, ENS vocatur IDEALE; quod extra intellectum existere potest, ENS REALE, RES, ALIQVID, (*strictè dictum*) REALITAS appellatur, quo termino (*realitatis*) imprimis utimur, si de illis loquimur, *quae existentiam aliquam consciunt*, & in quae, mente saltem, existentia ut in elementa sua dividi potest. Possibile existenti quoque opponitur, & in hac oppositione est id, quod existere potest, sed non existit; rem existentem si possibilem dicimus, mente ab illa separamus existentiam. Ut autem certo constet, illi, quod

in cogitationem nostram cadit, existentiam non repugnare, sola notionis possibilitas non sufficit. Est vero existentiae vox per se intelligibilis, cum sentiamus in nobis, quid sit id, quod existens appellamus. Quum vero omne, quod existit, necessario vel sibi ipsi sit manifestum, vel repraesentetur ab alio illud cogitante; existentia definiri potest, *quod sit causa cuiuscunque repraesentationis necessariae & constantis*, quantum est necessaria vel constans. Conscius sum enim mihi necessario, quia existo; existentia mea est ergo causa huius repraesentationis necessariae. Conscius sum mihi constanter & necessario aliarum rerum, ut corporis mei; existentia vero corporis omnino est causa huius repraesentationis necessariae, quantum est necessaria. Ego enim non sum causa libera huius repraesentationis; est ergo aliquid praeter me, quod efficit, ut vel nolens illam habeam repraesentationem; quo nil evidentius esse potest, cum plura mihi pro lubitu modo repraesentem, modo non repraesentem, & sentiam me cogi, ut ab eiusmodi repraesentationibus voluntariis distinguam necessarias & constantes. Somniantis repraesentationes voluntariis illis simillimae, nec constantes sunt, sed variant: immo vel nolentes distinguimus somnium a statu vigiliae. Entis infiniti si rationem habemus, res ita se habet, ut quicquid existit, propterea existat, quia ens infinitum illud sibi repraesentat. Nulla igitur existentia causa est repraesentationis entis infiniti; sed repraesentatio entis infiniti efficit, ut existat vel existere possit, quod ens illud sibi repraesentat. Possibile ergo eo sensu, quo est id, cui ex-

sistentia non repugnat, acceptum, tunc demum vere tale est, si cadit in intellectum infinitum; finitus vero intellectus non nisi ex existentia rei eiusdem rei similisve possibilitatem colligere potest, velut ex existentia animae nostrae & illius & plurium naturarum intelligentium possibilitatem colligimus, vel ex causa possibilitatem effectus. Quod ergo non existit, existere tamen posse dicitur, ea propter existere posse dicitur, quia vel existit iam aliquid, quod eius causa esse potest, vel si de tali causa non constat, sufficit existentia alicuius, cui id, quod ab intellectu representatur, simile est. Aliud autem est, cui in se vel extra rerum nexum spectato existentia non repugnare dicitur; aliud cui non repugnat vel nexus huius ratione habita. Possibile ergo quod est, ea propter nondum est compossibile. Omnes omnino autem substantiae possibles sunt quoque compossibiles. Vnicum enim tantum mundum possibilem esse & existere, infra (§. 71.) demonstrabimus. Causa infinita posita, nullus effectus impossibilis dici potest. Causa finita posita, ponitur possibilitas & impossibilitas effectuum. Possibile ergo respectu intellectus infiniti tale, distinguendum est a possibili illo, cui opponimus impossibile.

LEIBNITIVS ens appellavit id omne, quod est possibile absolute. V. Princ. Philosoph. D. 9. WOLFIVS vero id, quod existere potest, consequenter cui existentia non repugnat. Ontolog. §. 134. Rem (realitatem) LEIBNITIVS ea explicuit definitione, ut realitas (absoluta) sit possibile precise sumtum, sive ab omni negatione abstractum.

l. c. D. 136. WOLFIVS describit rem (realitatem, quidditatem, apud scholasticos synonyma) esse id, quicquid sit vel esse concipiatur, quatenus sit aliquid. l. c. §. 243.

§. 2.

SI OMNES omnino existendi modos posibles mente concipio, & ens assumo, in quod aut hic aut ille existendi modus cadat, nondum autem de illo adfirmo, quo modo existat, ens, quod assumo, indeterminatum erit appellandum. Positio autem vnius horum existendi modorum, vel omnium in vno ente autem compossibilium cum exclusione reliquorum est determinatio entis. Ens est omnimode determinatum, in quo ponuntur omnes determinationes compossibiles. Hoc ens appellatur singulare. Omnia autem entia singularia in se continent omnes omnino existendi modos posibles; conficiunt ergo ens universale, quod re vera existit, existente universo, in quo omnes omnino modi existendi posibles reperiuntur. Ens autem, in quo ponuntur determinationes, sed non omnes compossibiles, vel quod omnimode non est determinatum, potius ens genericum, quam universale est appellandum. Entia autem generica sunt entia idealia. Omnes existendi modi posibles sunt in ente universali compossibiles, vel in Toto, sed non in parte, ubi vnius positio est alterius exclusio. Dicitur quoque aliud ab alio vel per aliud determinari, i. e. si posito uno ponitur alterum, tunc alterum per alterum determinatur.

§. 3.

QVOD tanquam existens nobis repraesentamus, necessario nobis repraesentamus ut aliquid, hoc *aliquid* vero, si ad sensum nostrum internum respicimus; nil aliud est nisi extensio, ita ut nobis sub extensione quadam repraesentemus, quod ut aliquid nobis repraesentamus, existentiae rationem habentes. Ii, qui ens non-extensum plane non admittunt, dicere solent, necesse esse, ut id, quod existit, sit aliquid, & quaerunt, quidnam tandem sit, si non sit extensum? Quid vero sit extensio, sentimus, nec prius definire valemus, quam veram extensionis causam invenimus. Multitudinem rerum, simul spatium quoddam occupantium, causam esse extensionis, probandum, non supponendum est. Aliud omnino est negare extensionem, aliud, non-extensionem (simplicitatem) nobis tanquam qualitatem entis cuiusdam positivam repraesentare. Quod si enim ens non-extensum nobis repraesentare videmur, re vera nil aliud cogitamus, ac existere forte quid, cui extensio non competat, quod autem, quale sit, ignoremus. Frustra quam plurimi ad hoc referunt, imaginationi nos nimis indulgere; de imaginatione hoc enim loco sermo non est, sed de vero illo nostro cogitandi modo, ad quem non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, sicut CICERONIS legem naturae explicantis, verbis utar. Verum enim vero quamvis ens non-extensum, qua tale, re vera nobis repraesentemus, concedatur tamen necesse est, vel ex-

6 C O N S I D E R A T I O N E S

ensionem vel non-ensionem minime ad ea, quae enti inesse dicuntur, sed ad id, cui, quae enti inesse dicuntur, insunt, pertinere, id est, ad existentiam ipsam, ita ut nullum ens ut existens repraesentari possit, quod non simul vel ut extensum vel ut non-ensum repraesentetur. Extensio igitur & non-ensio (simplicitas) in numerum attributorum non sunt referendae, cum attributa ad ea pertineant, quae enti insunt, extensio vero vel non-ensio ad ea, quae id constituunt, cui attributa insunt.

§. 4.

ESSENTIA III. WOFLIO aliisque primum esse dicitur, quod de ente concipitur. Primum autem, quod de ente concipimus, est, quod existentia illi non repugnet. Qui ergo de indaganda rei essentia solliciti sunt, scire cupiunt, ex qua materia res constet, quamvis de spiritu sermo sit (*hic enim materiale & immateriale sibi non opponuntur*) vel quaenam qualiave sint, quae existentiam rei constituunt, quibus non positae existentia rei poni non posset, quomodo demum sint coniuncta, & quomodo res orta sit, si quando non existit, vel, si nunquam non existit, quomodo ab omni aeternitate ut existens concipi possit? Ut uno verbo dicam, quod res est, secundum naturalem nostrum cogitandi vel concipiendi modum scire volumus, sub qua extensionis forma res repraesentari debeat, v. c. spiritus an repraesentari possit sub forma ignis, quamvis re vera non sit ignis? Ex hisce omnibus facile est intellectu, essentias rerum veras

nempe & proprias nos latere, cum re vera non sint nisi repraesentationes intellectus infiniti, & quamvis res vel natura finita, quatenus existit, ab intellectu finito plene perfecteque cognosci posse videatur, tamen hoc ex ea ratione negandum est, quia naturae finitae intelligentes nunquam existencias absolutas vident, sed relativas tantum, vel quatenus ad illas referuntur, quales nempe existunt, nexus, quo omnes res finitae inter se continentur, ratione habita. Qui ergo vim illam repraesentandi universum essentiam animae esse dicit, de essentia physica non loquitur, sed per essentiam conceptum logicum ad certas conclusiones accommodatum intelligit. Quodcunque enim in rem aliquam cadit, si pro ratione omnium eorum sumi potest, quae observantur in re, essentia rei in sensu logico dici potest, cum illo posito reliqua logice possint connecti. Distinguendum est ergo inter logicam & physicam essentiam; physica autem metaphysicae essentiae hic non opponitur. Verum enim vero si generatim de essentia rei existentis sermo est, generatim quoque omnia, quae existenciam physice constituunt, essentiam quoque constituere dici debent. Quae essentiam constituunt, appellantur essentialia. Essentialia igitur sunt ea, quibus non positis existencia poni non posset. Essentialia ergo per se invicem omnino determinantur, cum omnia simul sint ponenda, vel uno posito ponantur reliqua. Nulla tamen urget necessitas, ut inter determinantia & determinata hic distinguamus, ita ut quaedam essentialia sint determinantia, alia determinata. Ipsa illorum nexus necessitas illa ita determinat. Non

loquor autem hoc loco de variis modis, quibus unum idemque ens ab intellectu finito repraesentari potest, *quantum libere agit*: nec sermo est de figuris aliisque eiusmodi entibus, quae e genere idealium entium, vel illorum possibilitium sunt, quae ad intellectum tantum nostrum vel finitum sunt restringenda. Entibus enim veretalibus, qualia nempe in intellectum infinitum cadunt, collectis vel simul sumtis omnia necessario insunt, quae illis inesse possunt, nec in illis admitti possunt, quae mere sint possibilitia, necessario ergo non insunt. Si ens singulare consideramus, ut praecise tale, quale esse debet, ut ab omnibus aliis distinguatur, si illi B. C. D. inesse dicatur, sane B. inerit, quia inest C. & porro. Quae illi praeter ea, quae insunt, non repugnare videntur, ad alia spectant entia. De *modis* hic sermo non est. Si de essentia entis unius quaero, in ente omnino ponere mihi non licet, quae sibi mutuo repugnant: sed quae sibi mutuo non repugnant, per se invicem tamen determinantur. Si enim per se invicem non determinantur, plura re vera entia mihi repraesentent. Si omnia mihi repraesentent simul: quae in ente universali sibi mutuo non repugnant, omnino per se invicem determinantur, ita, ut unoposito ponantur reliqua. Ut uno verbo dicam quae dicenda sunt: Plus non est in possibilitate, quam in existentia. Si praeter ea, quae ens constituunt ipsum, in illo concipio, quae tanquam sequelae necessariae eorum, quae illud constituunt, illi constanter insunt, **ATTRIBUTA** illa appello. **Attributa** etiam qualitates, proprietates, affectiones & determinationes essen-

riales appellari possunt, immo & modi. LEIB-
 NITIUS attributum id omne appellavit, quod
 propter solam essentiam enti alicui inesse posse intel-
 ligimus l. c. D. XVIII. WOLFIIUS, si quid per
 essentialia determinatur, id, ait, *enti constanter
 inesse debet. Quae vero per essentialia determinan-
 tur, dicit attributa, Ontolog. §. 145. seq.* „CAR-
 „TESIUS, qui utrumque antecessit, per modos,
 „ait, *hic plane idem intelligimus, quod alibi per
 „attributa vel qualitates. Sed cum consideramus,
 „substantiam ab illis affici, vel variari, vocamus
 „modos; cum ab ista variatione talem posse deno-
 „minari, vocamus qualitates: ac denique, cum
 „generalius spectamus, tantum ea substantiae in-
 „esse, vocamus attributa. Ideoque in Deo non
 „proprie modos aut qualitates, sed attributa tantum
 „esse dicimus, quia nulla in eo variatio est intelli-
 „genda. Et etiam in rebus creatis, ea, quae nun-
 „quam in iis diverso modo se habent, ut existentia
 „& duratio, in re existente & durante, non qua-
 „litates aut modi, sed attributa dici debent.* „
 „Princ. philos. p. 1. §. LVI. Per attributum in-
 telligo id (SPINOSA hic loquitur) quod intellectus
 de substantia percipit, tanquam ejusdem essentiam
 constituens. Ethic. P. I. Def. IV. Quamvis au-
 tem & illa, quae rem ipsam, vel rei essentiam,
 vel subjectum ipsum, cui quid inhaerere dici-
 mus, conficiunt, attributa (*essentialia*) appella-
 re nobis liceat; cum tamen sint, quae rem ipsam
 non conficiunt, sequelae autem necessariae ejus
 existentiae vel essentiae sint, haec cum illis omni-
 no non sunt confundenda. Sic simplicitas, si de
 substantia simplici sermo est, a substantia ipsa vel
 substantialitate minime differt. Sunt ergo attri-

buta, quae subsistunt per ens constanter, i. e. tamdiu, quamdiu ens ipsum durat, extra illud autem posita non sunt, sed illi omnino insunt. Quae ens constituunt ipsum, subsistunt cum ente quod constituunt, per se. Sed pergamus. Attribute vel sunt communia, vel propria. Propria vel sunt respectu oppositionis, vel individuationis (Haecceitatis) talia. Ens, quod in intellectu infinito ut unum existit, si in plura entia dividitur, quae extra illum existunt (existere possunt), plura illa entia communia habent attributa, cum re vera tantum unum ens sint. Sic v. c. omnes naturae intelligentes finitae totam spiritus finiti possibilitatem vel essentiam implent, & ut unum ens tantum sunt considerandae. Si vero ut individua considerantur, quatenus sunt individua propria habent attributa. Oppositorum duo sunt genera. Quae enim sibi opponuntur, quorum ergo unum involvere dicitur negationem alterius, vel ejus sunt indolis, ut alio respectu sibi opponantur, alio non. Ita substantiae finitae, qua substantiae finitae sibi non opponuntur. Spiritus & non spiritus sibi non opponuntur, quatenus ambo sunt substantiae finitae. Sunt ergo opposita, quae quodam sensu, eo nempe quo non sunt opposita, attributa communia habere possunt. Quae autem ita sibi opponuntur, ut nullo plane respectu qua non opposita considerari possint, attributa non habent communia. Ens infinitum nullo modo potest comparari cum alio ente, ita ut illi non opponatur, nisi cum alio infinito. Duo ergo si forent entia infinita diversae qualitatis aliquo tamen modo comparari possent inter se tanquam

fibi non opposita, & eatenus attributa habere possent communia. Infitam vero cum finito ita comparari nequit; quodcunque enim ab infinita substantia mente separas, non nisi infinitum est; infinitum a quo finitum quid separari potest, ad illud (infinitum nempe) pertinens; absurdum metaphysicum est, quamvis libenter concedam, infinitum finiti quasi induere naturam, dum repraesentatur ab intellectu finito. Alio respectu quoque infinitum quid concipi potest, quod finito opponi nequit, nisi eo sensu, quo totum opponitur parti; de ejusmodi autem infinitate (successiva vel ratione quantitatis tali) hic sermo non est. Quoduis ergo entis infiniti attributum, est attributum illius proprium respectu oppositionis tale, eaque oppositio *omnimoda* appellari optimo jure potest. Modi sunt, quae enti inesse & non inesse possunt: ita lapis nunc calidus est, nunc frigidus, & speciem entis non mutat, ut verbis Illustris. WOLFII utar. Verum exempla a rebus materialibus petita huc non quadrant, & plurium errorum causae sunt. In materia omnia sunt mixta & confusa, & distinguendi finis est nullus. Composito proprie nihil inest, nisi eo sensu, quo, quod singulis partibus inest, composito inesse dicitur; partes vero hic intelligo tales, quae non iterum ex partibus constant. Substantia igitur hic consideranda venit (non divisibilis), cui inhaereant, quae modo inesse, modo non inesse dicuntur. Quae vero modo inesse, modo non inesse dicuntur, cum e substantiarum genere non sint, adeoque, dum non insunt, extra substantiam non subsistant, ubi tandem sint, dum

non insunt, & unde veniant, dum insunt, ut ita dicam, merito quaeritur. Res vero aliter se habere vel concipi nequit, nisi ea, quae (substantiae verae seu purae) modo inesse, modo non inesse dicuntur, ita concipiuntur, ut sint effectus causae, quae modo agit, modo non agit, & cujus effectus tamdiu durat, quamdiu durat actio. Ea ergo, quae modo insunt, modo non insunt, nunquam sunt extra substantiam vel causam suam, & revera non sunt nisi attributa cum illis suis effectibus considerata. Attributis enim positis, iterum sunt, quae non, nisi illis positis, poni possunt. Si substantiam, quae modo patitur, modo non patitur, cogitatione tibi depingis, passio non minus nunquam extra substantiam patientem est, nec dum inest, nec dum non inest: pertinet ergo ad attributa cum suis effectibus considerata: ex attributis enim intelligitur, rem pati posse, & sine attributis talibus passio nunquam locum habere posset, posito quamvis ente agente. Quum ergo effectus ejusmodi extra attributa rei vel extra causam suam esse nequeant, una cum attributis semper rei insunt, cum causae liberae sit, quod non solum agat, sed etiam quod non agat, ita ut quoque non-actio ut effectus causae liberae, qua liberae, considerari possit & debeat. Notio modorum non satis evoluta esse mihi videbatur: qua propter aliquantisper huic argumento immoratus sum. Quae ergo modo inesse, modo non inesse dicuntur, ratione evolutionis vel successiois modo insunt, modo non: sed constanter inesse dicenda sunt, quantum ejus habetur ratio, quo non posito evolutio & successio illa poni non

posset: in ente enim sibi invicem succedere vel evolui nequeunt, quae non insunt. Alia est ergo ratio eorum, quae cum enti non insint, nec ex attributis ejus ut effectus derivari possint, tamen illi non repugnare adeoque inesse posse dicuntur, quamvis actu non insint, & forte nunquam insint. Ejusmodi modos omnino nego. Exempla a rebus materialibus petita nos decipiunt. Admittenda sunt, quae plane non existerent, si nullae existerent substantiae illa cogitantes vel percipientes. Ex eorum genere est calor lapidis & color ruber aliaque similia plura. Illa vero substantiis inesse dici nequeunt. Sic calor nulli inest substantiae; color quicumque nulli inest substantiae. Aliud igitur est, si quaeritur de modis, infinite forte variis, quibus res materiales percipi & repraesentari possunt; aliud, si quaeritur de iis, quae substantiis ipsis, aliarum illas cogitantium vel percipientium substantiarum ratione habita nulla, inesse posse dicuntur quamvis actu non insint.

Intelligentes, me non monente, vident, ab iis quae substantiae modo insunt modo non, ad ejus contingentiam non valere consequentiam, & finitudinem in modis minime consistere, de quo autem infra pluribus differetur.

§. 5.

EXSISTENTIARUM autem tria sunt genera, quae litteris distinguere placet, A. propriam habeat existentiam (ut omne, quod est Totum, substantia), adeoque per excellentiam EX-

SISTERE dicatur; B. inest $\tau\omega$ A. vel e genere eorum est, quae alius existentiae semper inhaerent, B. ergo non existere, sed INEXSISTERE dicatur; C. D. E. nec $\tau\omega$ A. inexistunt, nec sibi invicem inexistunt, ita ut C. inexistat $\tau\omega$ D, D. inexistat $\tau\omega$ E, E. inexistat $\tau\omega$ C. nec singula propriam habent existentiam, ita ut C. existere possit sine D, & D. sine E, & E. sine C; sed C. D. E. collecta vel simul sumta propriam habent existentiam, ita ut ens, in quo distinguuntur C. D. E. sine A. existere possit, quemadmodum A. sine C. D. E. existere posse dicitur. Quod si igitur singula considerantur, C. nec existere nec inexistere dici potest, sed e genere necessario coexistentium est, ex eodem genere sunt D. & E. verum C. D. E. simul sumta EXISTUNT ut $\tau\omega$ A. Quodcumque ergo existit; vel EXSISTIT (per excellentiam), vel INEXSISTIT vel COEXSISTIT in uno (*ad constituendum unum, necessario*). Quae ergo hic coexistere dicuntur, nunquam separatim existerunt, nec unquam separatim existent, nec ab omnipotentia ipsa separari poterunt. Facili igitur negotio substantiae coexistentes ab ejusmodi ad unum constituendum necessario coexistentibus distingui poterunt. Quaeritur autem nunc, quatenam *extra se posita esse* dici queant? Sed res ipsa loquitur; illa, quae extra se posita sunt, vel separatam singula habere existentiam, vel ejusmodi coexistentiam necessariam, & ita ab illis distingui, quae aliis insunt, vel alii existentiae inhaerent, quamvis sibi succedant, adeoque non simul sint. Quae realiter diversa dicuntur, extra se posita sunt, vel respectu propriae illorum

existentiae, vel necessariae ejusmodi coëxisten-
 tiae, vel si e genere eorum, quae aliis existen-
 tiis inhaerent, esse dicuntur, inhaerent tamen
 vel insunt diversis existentibus vel unius totius
 partibus extra se positis. Ponantur substantiae
 A. inexistere b. c. ut realiter diversa. Ergo vel
 $\tau\delta$ b. e substantia A. tolli poterit, salvo realiter
 diverso c. vel non. Si prius; b. & c. omni-
 no extra se posita sunt; alias b. salvo $\tau\delta$ c. tolli
 non posset; sin posterius; b. c. vel non sunt rea-
 liter diversa, vel e genere necessario coëxisten-
 tium, adeoque extra se posita sunt. Fac b. c.
 extra se non posita & tamen realiter diversa es-
 se; inerit ergo b. separatim $\tau\delta$ A. quia est reali-
 ter diversum, & c. quoque separatim inerit: sed
 quomodo tunc nisi extra se posita concipi pote-
 runt? Si ambo separatim non insunt $\tau\delta$ A; ne-
 cesse omnino est, ut b. insit $\tau\delta$ c. & c. insit eidem
 b. quo sensu vero tunc ut realiter diversa a se in-
 vicem distingui poterunt? Aliud autem est, unam
 eandemque rem variis modis sibi repraesentare,
 adeoque mente distinguere & separare, quae rea-
 liter diversa non sunt. Exempla, quibus reali-
 ter esse posse diversa, quae extra se non sint po-
 sita, quidam probare conantur, huc plane non
 quadrant, vel enim a rebus materialibus petun-
 tur, & tunc realiter illa diversa partibus extra
 se positis inhaerere, adeoque extra se posita es-
 se negari nequit; vel ab anima nostra exempla
 petuntur: tum vero animam carere partibus ex-
 tra se positis vel non concedo; vel ad animam
 solam restringenda esse, quae realiter in illa ob-
 servare videmur diversa omnino nego, cum ani-
 ma juncta sit corpori, & animam puram intueri

nemini mortalium adhuc contigerit. Varietas autem rerum, earumque differentiae, quatenus a nobis percipiuntur, vel repraesentantur, ut & effectus illi causae liberae, intra causam tantum concipiendi & separati a causa vel subiecto pereuntes, de quibus infra pluribus differetur, hic non attenduntur. Sunt omnino materiae qualitates, quae tantum in variis modis, quibus percipitur, quaerendae sunt, & quibus careret, si non essent naturae, illam variis modis percipiendi facultate pollentes. Sunt diversa, quae nemine cogitante non essent. Realiter ergo diversa extra se posita sunt, vel ut substantiae, vel ut partes substantiae, vel inhaerent existentiis diversis partibusve extra se positis.

§. 6.

OMNIA sane, quae hic mihi discernenda videbantur, in nostram cadunt cogitationem. Quamdiu autem res illis vere existere modis necdum fuerit satis compertum, partitiones istae rerum inter definitas illas quaestiones quas hypotheses vocant, erunt referendae.

§. 7.

DE VERA SUBSTANTIAE
NOTIONE.

ENS absolutum est, quod existentiam & qualitates suas habet proprias, ita ut per se possit considerari, vel perfecte (plene) repraesentari, quamvis cum alio non comparetur. Omnis
substan-

substantia existens est ens absolutum, vel habet una cum existentia sua propria qualitates illi proprias; & potest perfecte vel plene repraesentari, quamvis non comparatur cum alia. Ex hoc tamen non sequitur, ejusmodi substantiam a quacunque natura intelligente hoc modo repraesentari posse: conditiones enim concipi possunt, sine quibus ejusmodi repraesentatio non sit possibilis. Ens relativum, reale nempe vel existens, est revera ens absolutum, vel ens absolutum vocatur ens relativum, respectu quarundam naturarum intelligentium, quae ejusmodi ens absolutum, quale est in se ipso, vel si solum consideratur, sibi repraesentare nequeunt, sed ex qualitatibus & effectibus quibusdam, vel generatim ex certis rationibus concludunt, existere adhuc quid, quod, quale sit, ignorent, sed tamen de illo quaedam tuto negare, quaedam autem de illo comparative vel comparando affirmare possunt. Sic substantiae, quae nexu quodam inter se continentur, qualitates habent, quibus soluto nexu carent, & quatenus variis modis repraesentari & percipi possunt, illas ipsas autem (*immediate*) intuentibus aliae adparent, ac ab aliis repraesentantur vel percipiuntur, non sunt nisi entia relativa, vel quae talia non existunt extra repraesentationem vel perceptionem. De entibus imaginariis, fictis vel mere relativis, quibus non respondet absolutum quid, e quo, tanquam e firmamento suo pendeant, hic non est sermo. Entia ejusmodi non existunt. Omnia entia, (*substantiae*) quae existunt, sunt ergo omnino absoluta & positiva: a nobis autem ut talia non cogno-

scuntur, sed ut relativa. Necessse tamen est, ut in nostris ratiociniis absolutum a relativo distinguamus, ne in gravissimos incidamus errores. Intellectus noster non est causa ullius entis realis (*substantiae*) vel extra nos existentis: ergo non possumus a priori habere cognitionem ejus, quod existit. Necessse igitur est, ut ens, quod ut existens nobis repraesentamus, nobiscum in aliquo sit nexu, vel relationem quandam ad nos habeat, & quatenus ad nos refertur, eatenus illud cognoscimus. Cujus nobis sumus conscii ut extra nos existentis, ab illo nos distinguimus, illud ergo nobiscum comparamus, & sunt qualitates, ut jam monuimus, quas rei tribuimus, si illam comparamus cum alia, & quibus careret, si sola existeret, vel comparatione non ducta. Materia sane, variorum, quibus percipitur & percipi potest, modorum ratione non habita, permultis caret qualitatibus, quibus in relatione vel comparatione ad nos omnino gaudet. Plura ergo entia, quae nexu quodam inter se continentur, unum conficiunt ens relativum, quatenus ab alio simul percipiuntur vel repraesentantur. Verum haec sufficient: ex iis enim, quae dicta sunt, satis jam intelligitur, substantias absolute tales, vel absolutas nos latere. Sic tot mundi existunt relativi, quot existunt naturae intelligentes. Ens absolutum autem simul est ens positivum, & entia negativa & privativa vix inter entia sunt referenda. Mihi semper haec distinctio cum plurimis aliis inutilis visa est.

§. 8.

ENS vel est incompletum, vel completum. Ens incompletum vel est respectively tale, vel absolute. Ens incompletum respectively tale est I) quod ratione propriae, quae illi competit, existentiae, completum dicendum est, sed tamen non existit nisi propter aliud, adeoque plane non existeret, nisi existeret illud, propter quod est. Ens ejusmodi incompletum sibi ipsi non est manifestum, sed existit propter illud ens, a quo repraesentatur. Ens incompletum est II) cui quidem omnia insunt, quae cuilibet enti propriam existentiam habenti necessario insunt, seu sine quibus nullum ens esse posset, quod esse ponitur; quod porro propter se ipsum existit, sibi que ergo est manifestum, quod tamen non omnia in se continet, quae alia entia ejusdem generis in se continent, quo ergo majus concipi potest. Ejusmodi entia incompleta sunt e. g. singulae naturae intelligentes, quae collectae vel simul sumtae, conficiunt vel constituunt spiritum universalem, quo major concipi nequit. Id autem, quo majus concipi potest, vel est pars totius cujusdam finiti, vel totius infiniti. Si prius; ens concipi potest finitum, quo majus non datur. Verum ex iis, quae sequuntur, haec clarius elucescent. Ens incompletum absolute tale est vel e genere inexistentium vel e genere necessario coexistentium (§. 5.) Ens completum est vel absolute; vel respectively tale. Ens completum respectively tale est, quod alio respectu completum, alio incompletum dici potest. Ens completum absolute tale est, quod nullo plane

respectu incompletis potest accenseri. Ejusmodi ens non solum est e numero existentium per excellentiam (§. 5.) propriamque ergo existentiam habet, sed etiam propter se ipsum existit, sibi ergo est manifestum, omniaque illi insunt, quae illi inexistere possunt, adeo ut sit ejusmodi ens, quo majus concipi nequit. Num autem existat ut unum vel in pluribus tantum entibus singularibus, de hisce quaestionibus hoc loco non sumus solliciti. Omne ens incompletum completo, velut pars totum, opponi potest. Omne autem ens nobis ut unum repraesentamus, & si quaedam in illo distinguimus, illud, quantum est unum, appellamus Totum, & partes, quae in illo distinguimus. Sed solemus, recte vulgari loquendi modo, & talia entia partes vocare, quae iterum ut Tota considerari possunt, & quae rursus in partes dividimus, ita ut partes tales concipiamus, quae iterum habeant partes: immo sunt, qui materiam in infinitum esse divisibilem statuunt. Operae ergo pretium est, ut quid sit pars, accurate definiatur. Est vero pars vel relativum vel absolutum quid. Pars relativa vel respectiva talis est ens incompletum respectiva tale, quod alio respectu pars, quae iterum habeat partes: alio vero Totum dici potest. Haec partis definitio convenit cum vulgari loquendi modo, & iis placet potissimum, qui materiam in infinitum dividunt. Pars absoluta vel absolute talis autem est ens absolute incompletum, quod nullo respectu ut Totum considerari, nec sine absurditate iterum partes habere dici potest, quam sententiam voci partis LVCRETIVS jam subjecit, dicens; Id nimirum

Sine partibus exstat,

Alterius quoniam est ipsum pars.

Subjecti vero tantum ratio habetur, si de partibus sermo est, adeo ut subjectis inhaerentia in partium numerum non referantur, sed quae subjectum ipsum constituunt, cui alia inhaerent. Sic cogitationes non animae; color corporis & calor, & quae sunt id generis, non corporis dicuntur esse partes. Quum pars absoluta sit ens absolute incompletum; ens absolute incompletum autem vel e genere inexistentium, vel necessario coexistentium sit; inexistentium tamen hic ratio non habeatur: evidens esse credo, partem absolutam e genere necessario coexistentium esse. Nulla ergo pars absoluta sola exsistere potest; sed necessario cum aliis partibus, quae tamen non sunt ipsius partes, coexistit, ita ut plures ejusmodi partes conficiant unum vel Totum. Ejusmodi partes sunt extra se positae (§. 5.), sed non extra Totum unquam exsistere possunt, nec pars alia sine alia exsistere potest. Distinguenda est ergo exsistentia propria & separata ab ejusmodi coexistentia necessaria, & concipi ergo omnino possunt extra se posita, quorum aliud tamen sine alio exsistere nequit. Totum est ens completum (vel respectivo vel absolute tale), & quamvis Totum quoddam concipi possit, quod alio respectu sit pars, tamen quantum consideratur ut pars, sub forma Totius non repraesentatur, sed a Toto distinguitur. Definiri ergo potest Totum, quod sit ens, quod non est pars alterius, quantum non est pars alterius. Quod ergo plane nullas habet partes, aeque Totum est, ac

quod habet omnes, quas habere debet. Quod si plura Tota sub forma unius entis vel Totius mihi repraesentent, ejusmodi Totum (compositum) *relativum*, & corporis ratione habitum *physicum* appellare liceat: Totum autem, re vera unum, *absolutum* appellemus & *metaphysicum*. Illi, quod habet partes, opponitur quod partibus caret. Illi vero, quod partibus caret, sine absurditate opponi nequit idem quod partibus caret. Opponitur autem re vera idem, quod partibus caret eidem, quod partibus caret, si plura, quae partibus carent, opponuntur uni, quod partibus caret. Totum ergo relativum, *quatenus partes habere dicitur*, non recte opponitur immediate Toti vero, uni vel absoluto, *quatenus partibus caret*. Opponatur ergo necesse est Toti, quod partibus caret, aliud Totum, *aeque unum & absolutum, quod partes habet*. Ejusmodi autem Totius partes sunt *absolutae*, quae nullo respectu ut *Tota* considerari, nec iterum sine absurditate partes habere dici possunt. Ejusmodi Totum opponitur Toti, quod partibus caret (simplici), omni excluso medio, quantum medium illud concipi aliter non posset, ac tertium Totum, quod uno eodemque sensu & partes haberet & partibus careret. Quod si autem omne Totum metaphysicum per se subsistere & sine alio concipi posse dicitur, hoc eo sensu accipiendum est, *quo alterius non esse pars dicitur*. Quae autem extra se invicem posita esse dicuntur, vel ut Totum extra Totum, vel ut pars extra partem, extra se posita sunt. Totum metaphysicum extra alia entia positum esse dico eo sensu, quo Totum extra Totum positum esse

dicitur; partes autem Totius metaphysici non sunt extra se positae, ut Totum extra Totum; sed ut pars Totius extra partem ejusdem Totius, nec unquam extra Totum existere possunt. Totum autem metaphysicum appello SUBSTANTIAM, quae adeo est ens completum (vel respective vel absolute tale), propriam integramque habens existentiam, vel per se, i. e. ut Totum, quod non est pars alterius, adeoque & extra aliud & sine alio existit, subsistens.

LEIBNITIUS noster, monadologiae suae rationem habens, substantiam completam esse dixit, quae vim agendi simplicem & vim patiendi sive resisten-
tiam simplicem in se habeat l. c. D. 80.

§. 9.

OBSCURUM illud ens per se subsistens, quam schola substantiam appellavit, cujusque verbi potestas anceps semper multiplexque fuit, quid tandem sit. recentis hujus aetatis philosophi non in eadem sunt sententia. Eorum tamen principes fatentur, magnas incurrere in difficultates qui voci substantiae, sive de infinita, seu de finita natura sit sermo, eandem subjici posse sententiam sibi persuadeant. „Per substantiam nihil aliud, auctore CARTESIO, intelligere possumus, quam rem, quae ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum. Et quidem substantia, quae nulla plane re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe Deus. Alias vero omnes non nisi ope concursus Dei existere posse percipimus. Atque ideo nomen substantiae non convenit Deo & illis univoce, ut dici solet in scholis,

„ hoc est, nulla ejus nominis significatio potest di-
 „ stincte intelligi, quae Deo & creaturis sit commu-
 „ nis. Princip. Philos. P. I. §. LI. Cujus phi-
 „ losophi sententiam sequutus infelix ille, ut aiunt,
 „ Fati illius architectus, SPINOSA, Per substan-
 „ tiam intellexit id, quod in se est, & per se con-
 „ cipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget
 „ conceptu alterius rei, a quo formari debeat.
 „ Ethic. P. I. Def. III. Sed aliud est, quid sit sub-
 „ stantia secundum conceptum logicum (fere ar-
 „ bitrarium), & quid re vera, vel in sensu phy-
 „ sico, sit id per quod illa subsistunt, de quibus
 „ certo constat, illa non per se ipsa sed per alia
 „ subsistere? Longe ab his discedens, qui intelle-
 „ ctum humanum sub jugum misit, Angelus ille
 „ illustris frustra quaesivit, quatenam res voci illi
 „ substantiae sit subjicienda; de verbis enim pa-
 „ rum erat sollicitus: v. l'Essai sur l'Entendement
 „ humain T. III. L. III. Ch. X. §. 18. „A la véri-
 „ té, les noms des substances seroient beaucoup plus
 „ commodes & les propositions qu'on formeroit sur
 „ ces noms beaucoup plus certaines, si les Essences
 „ réelles des substances étoient les idées mêmes que nous
 „ avons dans l'Esprit & que ces noms signifient. Et
 „ c'est parceque des essences réelles nous manquent,
 „ que nos paroles repandent si peu de lumière ou de
 „ certitude dans les discours que nous faisons sur les
 „ substances. C'est pour cela que l'esprit, voulant
 „ écarter cette imperfection autant qu'il peut, sup-
 „ pose tacitement que les mots signifient une chose qui
 „ a cette essence réelle, comme si parlà il en appro-
 „ choit de plus près. LEIBNIVS. „Substan-
 „ tia, ait, est ens, quod principium mutatio-
 „ nis in se continet. Addit. „In definitione sub-

„ *stantiae abstrahendum esse a modo, quo ens prin-*
 „ *cipium mutationum contineat; an EMINENTER*
 „ *an FORMALITER, omniumne simpliciter an*
 „ *LIMITATE illarum tantum, quae ad essentiam*
 „ *illius restrictae sunt. Ens autem illud continet*
 „ *EMINENTER principium mutationum omnium*
 „ *quod per renlitate[m] suam absolutam & univer-*
 „ *sa[m] supplere potest limitationes principii cujuscun-*
 „ *que mutationum, illud producendo extra se: &*
 „ *Ens illud continet FORMALITER principium*
 „ *mutationum suarum, quod illud secundum essen-*
 „ *tiam suam continet, ut ab illo intrinsece possit*
 „ *denominari.* „ *Princ. philos. D. 74.* Verum
 hac substantiae definitione accepta, unica tantum
 erit substantia. Omnium mutationum princi-
 pium est Deus, teste LEIBNITIO. Distinctio-
 nes, quas fingit, nullius sunt momenti. SPI-
 NOSA idem voluit. Sed de sola voce sane lis
 non est. Unica tantum substantia esset, si Deus
 principium omnium mutationum foret, causa
 omnium effectuum. Plures substantiae exi-
 stunt, quia Deus non est causa omnium effe-
 ctuum, non est principium omnium mutatio-
 num. Quamvis enim A. sit causa τ⁸ B. quod
 est causa τ⁸ C.; tamen A. causa τ⁸ C. dici ne-
 quit, nisi eodem sensu τ⁰ C. produxisse dici pos-
 sit, quo τ⁰ B. produxisse dicitur: sed τ⁰ C. nun-
 quam producere potuisset. Itaque τ⁰ B. est ve-
 ra causa τ⁸ C. Deus secundum LEIBNITIVM
 SUPPLERE dicitur limitationes cujuscunque princi-
 pii mutationum, illud producendo extra se: sed limi-
 tatio hic non est, nisi privatio, nisi defectus ulterio-
 ris realitatis: Deus ergo ad supplendum Totum ne-
 cessario requiritur, & unam tantum habemus sub-

stantiam, qualem SPINOSA desideravit: Quod si igitur omnia entia essent activa; per substantiam idem posset intelligi ac per causam: sed concipi possunt entia mere passiva, qualia videntur esse elementa corporum, quae e numero substantiarum tollerentur, si per substantiam intelligeretur causa, vel principium mutationum: & tamen elementa illa inter accidentia non possunt referri. Malumus ergo substantiam definire, quod sit TOTUM METAPHYSICUM, ita ut quodcumque ejusmodi Totum, sive habeat vim, sibi que sit manifestum, seu mere sit passivum quid, suaequae existentiae sibi non conscium, substantia dici possit. Sic Deus, si non praecise consideratur ut Deus, uno eodemque sensu, ac anima nostra, substantia appellari potest. Totum enim non solum est, quod habet partes, sed etiam quod partibus caret, est Totum. Quod si autem ens infinitum opponimus enti finito, in hac oppositione non eodem sensu substantia est. Per ens infinitum enim omnia reliqua entia subsistunt: est firmamentum, e quo pendent: substantia ergo ita definienda est, ut definitio in omnia entia quadret, quae inter accidentia referri nequeunt. Pluralitas autem substantiarum evincitur, demonstrata existentia plurium causarum vere talium omnium mutationum illarum, quae in Universo observantur. Contra Spinosa disputantes adhuc probare necesse habent possibilitatem vel existentiam infinitatis ratione qualitatis, non quantitatis, talis, vel omnitudinis simultaneae. Substantia igitur Totum est metaphysicum, quod subjectum est mutationum, vel talium, quae existentiae alterius inhaerent, sive

sit ipsum causa mutationum, sive mutationes illae producantur ab alio, modo sit subiectum, e quo, tanquam e firmamento suo pendeant. Universum ergo pro unica substantia haberi nequit; sed ex pluribus constat, infiniti forte numeri. WOLFIIUS subiectum perdurabile & modificabile substantiam dicit, Ontolog. §. 768. Perdurabile illi videtur, quod determinationes intrinsecas constantes habeat, l. c. §. 767. Durare dicit, quod rebus pluribus successivis coëxistit. §. 578. Modificabile dicit, quod successive aliarum determinationum intrinsecarum capax, vel cuiusmodi variari possunt. §. 764. Quis hic non clare animo perspicit, illustrem philosophum ens infinitum in substantiarum numerum non referre? „Obiter quidem monet, nihil novi in philosophia moliri eum, qui theoriam entis in genere talem condat, quae non eodem prorsus sensu Deo enti infinito, & creaturis entibus finitis competit „ l. c. §. 772. in fin. Sed vereor, ne excusatio haec nulla sit. Multum enim interest, an substantiae vocem ita definiamus, ut Deus tantum *quasi* sit substantia; an ita, ut entia finita *quasi* tantum sint substantiae; an forte ita, ut nec finitae nec infinitae naturae notio in sententia, quam substantiae voci subijcimus, comprehendatur. Quomodo enim fieri possit, ut Deum appellare substantiam necesse non habeamus, ego quidem non video. Summa igitur cum diligentia curare nostrum est, ne vulgo philosophorum ansam demus, in erroneas de Deo opiniones veniendi. Substantiae nomen, si ad id, quae modo monui, attendere quis velit, non aliter ergo explicandum erit ac ita, ut vel Deus

solus vera sit substantia; quæque præter illum sunt, naturæ finitæ *quasi* tantum substantiæ appellandæ sint; vel, ut nec finitæ nec infinitæ naturæ in eruenda substantiæ notione versans philosophus ullam habeat rationem. Illustris ille philosophus, cum sibi ens infinitum per eminentiam (*quasi*) modificabile dici posse persuadeat (*l. c. §. 846.*) nimis forte imaginibus illis fidit, quas ANALOGA MODI vocare illi visum est (*§. 842.*). Est vero illi MODI ANALOGVM, *cujus oppositum „ENTI INFINITO absolute „ non repugnat, quod tamen rationem sufficientem „ in eodem non agnoscit, cur actu unquam insit.„* Sed omnino enti infinito repugnant, ut impossibilia, quæ in eodem rationem sufficientem non agnoscunt, cur actu illi inesse possint. Est enim intellectus infinitus origo & fons omnium possibilitatum. Quomodo vero ens infinitum sibi aliquid absolute non repugnare cogitare poterit, quod in illo, ut unquam actu illi insit, rationem sufficientem non agnoscat? An intellectus infinitus imaginum delectabitur varietate, somniantium more, verbisque forte ludet, quæ nostri fors intellectus esse videtur? Si Deus libere condidit rerum hanc universitatem; omnino libertas hæc ipsa erit ratio sufficiens tam, quod vocant, decreti de mundo creando, quam illius de illo non creando. Non audiamus ergo, qui ens infinitum per eminentiam modificabile esse, sibi & nobis persuadere conantur. Ego vero, quid sit substantia, explicans, nullam nec finitæ nec infinitæ naturæ rationem habeo; solam specto rei, quam substantiam appellare mihi animus est, existentiam vel possibilem vel actualem, ut

aiunt; non vero existentiae illius quasi extensionem sive finitam sive infinitam. Ex mea definitione nil consequitur, quod vel unicitatem substantiae stabilit, vel Deum e numero substantiarum tollat. Quodsi igitur animum meum substantiam dico: illum & extra omnia alia entia pono, & cum solam illius spectem existentiam, non qualitatem, illum etiam sine aliis, ajo, exsistere posse, i. e. non esse partem alius entis non dissolubilem. Mundum ergo si sine Deo exsistere dico, illum re ipsa (realiter) a Deo fecerno, non immemor, Stoicos mundum cum Deo, ejus mente vel anima, permiscuisse, adeoque mundum sapientem, CICERONE teste, dixisse; SPINOSAMQUE infinitam cum finita natura quam arctissime colligasse. Deum sine mundo exsistere asserens, non alia mihi hoc quidem loco est sententia, ac illum non esse mundi, nec mundum ejus partem, Naturam vero (ens) solam existentem a natura (ente) sine alia existente distinguo, quia distinguendi hic adest ratio. Sola existit natura (ens) quae aliarum quarumcunque naturarum (entium) existentiae rationem sufficientem in se habet. Solus ergo Deus est natura, quae sola existit, etiamsi extra illum nunc quidem sint, quae existant. Mundus vero, quaquam pater, non est natura sola existens, etiamsi sine alia existat; ratio enim existentiae illius in natura sola existente reperitur. Excusatio tamen foret accipienda, si quam in explananda substantiae notione infinitatis rationem ut haberemus, cogere, modo voci substantiae ea non subjiciatur sententia, qua accepta natura infinita substantia amplius dici non posset.

§. 10.

TOTVM relativum (compositum) corporis ratione habita, physicum appellavimus (§. 8.) Ejusmodi Totum physicum dividi potest in plura Tota, quae compositionis ratione habita ut partes considerantur. Ejusmodi Totum ut pars consideratum, substantiam appellemus partialem, quae Totius nempe alicujus compositi pars erit dicenda, quaeque non propter se ipsam, sed ut cum aliis simul unam quamdam naturam conficiat, existit.

§. 11.

NATURAM (ens) propter se ipsam existentem, vel quae non existit, ut cum aliis simul unam quamdam naturam (compositam) conficiat, substantiam totalem appellare liceat. Quae substantiarum partitiones omni omnino non caerent utilitate.

§. 12.

SI vero substantiam quamdam propter se ipsam existere ponis, illam quoque suae ipsius existentiae esse consciam ponis. Quod enim si non esset, qua tandem ratione propter se ipsam existere dici possit?

§. 13.

QUAE omnino nullam ob rationem, quae ad illas adrineat ipsas, existunt substantiae; suae existentiae cur sibi sint consciae nihil sane causa

est. Concipi ergo possunt substantiae, quae existentiae suae sibi non sunt consciae, quaeque ergo componi possunt, cum contra substantiae, quae propter se ipsas existunt, existentiaeque ergo suae sibi sunt consciae, componi nequeant, nisi simul propter se ipsas existere, suaeque sibi existentiae conscia se a se invicem distinguere desinant. Sane plures Egoitates, ut aiunt, quae unam tantum concipient Egoitatem, concipi nequeunt. Dispertiri ergo possunt substantiae in componibiles & non componibiles. Illas partiales, has totales appellavi.

§. 14.

DE REBUS, QVAS VOCANT
ACCIDENTIA.

QVAE non in rem ipsam proxime cadunt, sed in rei adjuncta, Schola accidentia appellare consuevit, quasi quae ad aliud cadant, eademque substantiis opposuit. V. CHAVVINI *lexicon philosophic.* p. 9. WALCHII *lexic.* p. 31. LEIBNITIVS noster accidens descripsit, *quod sit modus substantiae finitae.* D. 31. WOLFIVS noster *ens, quod modificabile non est, i. e. quod si mutatur, prorsus perit, & in cuius locum aliud succedit.* l. c. §. 768. At ego, quae hic distinguenda sunt, sic distinguo: sunt, quae omnino non per se subsistere possunt, sed necessario in alio subsistunt, & per aliud, alius ergo inhaerent existentiae. Haec opponuntur substantiis, in quibus vel per quas subsistunt, vel quibus inhaerent, & haec accidentia appellantur. Attributa ergo & ac-

cidentia hic sibi non opponuntur. Verum
 mente distinguimus in substantia ipsa quaedam,
 quae illi inesse dicimus, quae autem substantiam
 ipsam vel subjectum ipsum constituunt, adeo-
 que non proprie insunt vel inexistunt vel inhae-
 rent, sed id ipsum sunt, cui alia inexistunt vel
 inhaerent, & haec confundi non debent cum ac-
 cidentibus. Sic extensio & non extensio (sim-
 plicitas) infinitas & finitudo nec sunt acciden-
 tia nec attributa, eo nempe sensu, quo & acci-
 dentia & attributa subjecto cuidam inhaerere di-
 cuntur; sed constituunt subjectum ipsum vel
 sunt subjectum ipsum, cui alia inhaerent. Quod
 si igitur de extensione vel simplicitate sermo est,
 extensio vel simplicitas est subjectum ipsum vel
 substantia ipsa, cui alia vel omnia inhaerent, vel
 quae e numero inexistantium, vel inhaerentium
 sunt: sed extensio vel simplicitas non est e nu-
 mero ejusmodi inexistantium. Sic infinitas est
 subjectum ipsum, cui inhaerent alia, & si ens
 infinitum est simplex, simplicitas & infinitas,
 quamvis mente distinguantur, re vera non diffe-
 runt, sed unum idemque conficiunt subjectum,
 ita ut ens simplex quoque sit ens infinitum, &
 ens infinitum, ens simplex, quodque inhaeret
 simplicitati, inhaereat quoque infinitati ut uni
 eidemque subjecto. Quemadmodum autem
 subjectum (*absolutum saltem & metaphysicum*) non
 habet aliud subjectum, cui inhaereat: ita sim-
 plicitas non inhaeret infinitati ut subjecto suo,
 nec infinitas simplicitati; sed utraque non nisi
 unum est subjectum, cui inexistunt, quae enti
 simplici & infinito inexistere possunt. Quae
 verò ad subjectum ipsum non pertinent, sed ve-

re illi inhaereat, vel attributa, vel non nisi effectus illi interni esse possunt, qui non sunt extra causam suam, & de quibus §. 4. differuimus. Concipi saltem omnino nequit subiectum, ut reale vel exsistens quid, cui inhaereat infinitas vel simplicitas, & quod differat realiter ab illo, quod illi inhaerere hic ponitur, ita, ut separato ab illo hoc inhaerente, adhuc quid reliquum sit, quod re vera existat. Si autem separata simplicitate vel infinitate a subiecto, cui inhaerere dicitur, re vera nil amplius existit, sed subiectum simul tollitur: evidentissimum est, inter subiectum & ejusmodi quid inhaerens realem non intercedere differentiam. Effectus vero causae liberae abesse possunt, causa ipsa tamen subsistente, subiectum ergo concipi potest, cui inhaereant ut res, a subiecto separatae pereuntes, subiecto manente vel sine illis subsistente. De exemplis a rebus materialibus petitis nostram jam diximus sententiam. Ex omnibus vero evidentissime patet, quae rei inhaerere dicuntur, vel rem ipsam conficere, adeoque improprie vel tantum secundum quemdam modum loquendi rei inhaerere dici, vel attributa & ejusmodi effectus internos esse, de quibus supra diximus. Quae igitur in numerum attributorum vel ejusmodi effectuum referri nequeunt, nec Accidentia sunt, quatenus opponuntur substantiis, & per se omnino non subsistere posse dicuntur. Cogitationes & perceptiones pertinent ad existentiam ipsam naturarum cogitantium & percipientium; sed sunt accidentia, quatenus a naturis cogitantibus & percipientibus libere mutantur. Verum maxima ex parte & materiae &

ejus quod immateriale vocamus, natura nobis incognita est, & mortalium non est, modum, quo omnia fiunt, explicare. Ad fundum animi cum corpore commercii nondum, ut ita dicam, pertigimus. Sed nil nos cogit, ut substantiis puris attribuamus, quae in illas non quadrant. Accidentia ergo vel sunt merae ideae: vel per illa intelliguntur relationes substantiarum externae; vel si de iis sermo est, quae substantiis (*puris*) vere inesse dicuntur, & si accidentia attributis opponuntur, per illa tantum effectus illi causae libere, i. e. modo agentis, modo non agentis intelligi possunt, quatenus ejusmodi effectus substantiae, causae illorum, inexistunt: quo casu accidentia & modi (§. 4.) non discernuntur.

§. 15.

DE ENTIBUS, QUAE APPELLAMUS LIMITES.

QUAECUNQUE existunt, vel re vera unum tantum sunt ens, vel unum tantum Totum, unica tantum substantia, quamvis sub forma plurium entium, Totorum vel substantiarum a nobis repræsententur; vel re vera plura existunt Tota, plures substantiae. Quo majus concipi potest, limitatum dicunt, WOLF. l. c. § 825. Quod si ergo unicum tantum Totum sive unica tantum substantia existit, vel Toto illo majus adhuc concipi poterit, vel non. Si prius; Totum illud re vera non est Totum, sed pars Totius illius, quod illo majus est. Sin posterius; Totum illud illimitatum erit dicen-

dum; concipi ergo poterit infinitas vel Non-limitatio, in pluribus substantiis divisim subsistens, re vera tantum unam substantiam conficientibus, & limitatum se habebit ad illimitatum ut pars ad Totum. Quodsi ergo limitatio in defectu ulterioris realitatis ponitur: defectus ille, qui observatur in una substantia, vel suppletur ab altera & sic porro, vel non. Si prius; Totum supplet defectum, qui in parte observatur, Totum ergo est illimitatum, & habemus infinitatem compositam, limitatumque vel finitum quod dicimus, se re vera aliter non habebit ad illimitatum, atque pars ad Totum. Sola de voce lis foret, hoc si in dubium vocaretur. Si posterius: si, inquam, defectus ille ulterioris realitatis, qui in parte observatur, a Toto non suppletur: Totum est mancum, vel potius non est Totum. Defectus ille ergo vel plane non suppletur vel suppletur; si plane non suppletur, nil quoque existit, in quo ulterior realitas, quae deficit, poni possit; re vera ergo defectus ille ulterioris realitatis non adest. Si autem suppletur, id, a quo suppletur, omnino pars est ejusdem Totius, cujus id, in quo defectus observatur, pars est. Re vera ergo a Toto defectus ille suppletur, & casus, quo a Toto non suppleatur, non existit. Realitates enim, quae deesse dicuntur, cadere debent in substantias, quae illis carent; substantia ergo, in qua ponuntur realitates, quae in reliquis desunt, ejusdem sit qualitatis, ac reliquae, cum reliquis ergo una conficiat Totum necesse est. Si substantiam fingis, in qua ponantur omnes omnino realitates, quae in reliquis desunt, si non per

substantiam illam universum ipsum intelligis, cum SPINOSA unicam tantum admittens substantiam, id, quod fingis, monstrum metaphysicum est. Monstrum tuum unum tantum habet caput, sed duo corpora. Est autem ejusmodi substantia omnino impossibilis, cum necessario jungantur in illa, quae sibi mutuo repugnant, vel cum ponantur in illa, quae in una substantia (non composita) poni nequeunt, sed in pluribus tantum substantiis, vel si mavis, individuis poni possunt, & quorum positio semper est alterius exclusio. Talis substantia simul corporea & incorporea esset, & cum secundum hypothesin omnes omnino realitates in illa ponendae sint, quae in reliquis substantiis omnibus ponuntur, individuatio autem & haecceitas omnino sint realitates, quodlibet individuum autem proprium suum individuationis principium habeat, ita, ut id, propter quod Petrus est Petrus, non sit id idem, propter quod Paulus est Paulus: necessario quoque omnes omnino illae realitates, propter quas omnia omnino individua sunt individua in illa substantia ponendae forent, i. e. omnia individua vel entia singularia ipsa in illa substantia ponenda forent, cum principium individuationis ab individuo, in quo est, separari nequeat. Est ergo ejusmodi substantia impossibilis. Substantia autem illa, in qua ponuntur realitates, quae in reliquis desunt, dum non simul in illa ponuntur omnes omnino realitates, quae in reliquis ponuntur, sola spectata illimitata dici nequit. Est ergo necessario pars Totius cujusdam illimitati. Ex hisce omnibus abunde patet, limitatione substantiae in de-

fectu ulterioris realitatis posita, infinitatem poni compositam (successivam, ratione quantitatis zalem) per quam Universum ipsum commode intelligi possit.

§. 16.

SI in defectu ulterioris realitatis limitationem ponis, omnia entia hoc sensu limitata partes esse Totius, quod simul sumta conficiunt, illimitati ponis (§. 15.) Non est, quod excipias, Totum illimitatum ex partibus limitatis constare non posse, sed quales sint partes, tale esse Totum; defectus enim ulterioris realitatis, qui observatur in parte, suppletur a Toto: in Toto autem talis defectus non observatur. Ejusmodi ergo Totum illimitatum ex partibus limitatis omnino constare potest. Fac, hunc mundum esse perfectissimum; an ulla realitate carebit, quae in illum cadit? Erit ergo illimitatus vel infinitus. Finitus enim si foret, in defectu ulterioris realitatis limes ejus ponendus esset. Cum autem omnes in se contineat realitates, quae in illum cadunt, ulterior realitas, qua careat, possibilis non est. Si propterea finitus dicendus sit, quia careat realitatibus, quae una cum reliquis illi inesse nequeunt, vel in illum non cadunt, ens tuum infinitum, quod mundo opponis, non minus finitum erit dicendum: corporum enim saltem realitates in illud non cadunt. Ego quidem mundum hunc esse finitum, & ens extramundanum infinitum illius esse auctorem persuasissimum habeo; sed ego finitudinem in defectu ulterioris realitatis non pono, nec infinitum

dico, quo majus concipi nequeat, cum nihil inveniam, cum quo infinitum comparare, quo ergo illud majus dici possim. Si incipio a rebus finitis, & realitates ad illas pertinentes per gradus distinguo, infinitatem in maximo realitatis gradu non pono. Realitates, quae conficiunt ens infinitum, non sunt ejusdem qualitatis, ac realitates, entibus finitis propriae; non magis ergo cum illis comparari, & in ente infinito maximus realitatis gradus poni potest, quam Caucasus anima Caesaris major, vel anima Caesaris Caucato major dici potest. In quo defectum ulterioris realitatis observamus, id infinitum quidem non dicimus, sed nec finitum, simpliciter vel quovis sensu dicimus, partem tantum Totius quod vel finitum, vel infinitum, infinitum autem procul dubio est, si finitudo in defectu ulterioris realitatis, qui vero a Toto suppletur, ponitur, vel si per finitum idem intelligitur, ac per partem; per infinitum ergo idem, ac per Totum (universum). Cum autem ex limitatione rei colligamus ejus Non-Aseitatem, vel quod sit effectus alterius; per limitationem procul dubio id intelligitur, ex quo rei Non-Aseitas, vel quod sit effectus alterius colligitur. Ex defectu ulterioris realitatis autem hoc intelligi nequit; sed tantum defectus ille indicat, rem in qua observatur, esse partem Totius, & quidem illimitati: id quod modo planum fecimus. Concipi autem possunt plura entia a se, si sola Aseitas spectatur, nec cum illa conjuncta est alia qualitas, Unicitatem entis a se, involvens. Plura entia a se autem se invicem necessario quodam sensu limitant, ut unum Totum conficere

possint. Ne autem tantum repetere videamur, quae jam a nobis dicta sunt; consideremus qualitatem substantiarum, quae universum hoc conficiunt. Sint, qualescunque sint, & quidem non simplices: si in solo ulterioris realitatis defectu cujusvis substantiae ponitur limitatio; non nisi partes unius Totius illimitati sunt. Si tamen non sunt simplices, probare possumus, & jamjam probabimus, illas re vera esse limitatas, neutiquam autem partes Totius cujusdam illimitati, sed eo sensu limitatas, quo res vel substantiae, quia non sunt a se, sed alterius entis vel substantiae effectus, limitatae dicuntur. Posita autem substantiarum illarum simplicitate, limitatio, hoc sensu accepta, in illas non cadit. Fac, universum constare ex substantiis simplicibus; si limitatio simplicium poneretur in defectu ulterioris realitatis, substantiae simplices aequae ac non simplices non nisi partes erunt Totius illimitati, immo quaevis substantia simplex pro ente, quod est a se, erit habenda, cum Aseitas enti simplici non repugnet, sed potius ens a se necessario sit simplex. Nos autem jam notavimus, plura entia a se, si sola spectetur Aseitas, concipi posse, plura nempe ab omni aeternitate coexistentia. Composita ejusdem necessario qualitatis sunt sibi quae perfecte similia quae Composita, vel si compositionem solam considero, abstrahendo a reliquis: cum autem diversa componi queant, ex diversis ergo constare possint composita, possunt quoque, non quae composita simpliciter, sed eorum, ex quibus constant, ratione habita, i. e. quae composita ex talibus partibus, diversas qualitates habere. Simplicia, quae

simplicia, ejusdem necessario sunt qualitatis si-
 bique perfecte similia; ex diversis composita non
 sunt, nec esse possunt, quia sunt simplicia; ces-
 sat ergo hic ratio, propter quam composita di-
 versas qualitates habere possunt. Quomodo er-
 go ulla realitate, quae salva simplicitate in illis
 poni potest, carere poterunt? quomodo ulte-
 rior realitas in illis poni poterit? Quomodo er-
 go hoc sensu limites habere possunt? Si in una
 substantia simplici plus qualitatis, virtutis vel
 realitatis in genere ponitur, quam in altera, ne-
 cessario quoque in una plus substantiae ponitur
 quam in altera; ponitur ergo in una plus sim-
 plicitatis quam in altera, id quod est absurdum.
 Si magnitudinem fingis, quae in multitudine
 partium, extra se autem non positarum, confi-
 stat, in ens simplex ergo optime cadat; per me
 id licet. Sed cum partes illae, in quarum mul-
 titudine magnitudinem illam ponis, quae appel-
 latur intensiva, vel gradus, non sint extra se
 positae, reales quoque non sunt partes, sed me-
 re ideales. Fac ergo esse substantias simplices
 A. B. C. D. Quotcunque ejus generis partes sal-
 va simplicitate in substantia A vel ejus vi pones,
 tot poni possunt, eadem simplicitate salva, in
 substantia B vel ejus vi, & sic in C. D. & por-
 ro. Ejusdem ergo magnitudinis omnia erunt
 simplicia, & finem, quem, talem fingens magni-
 tudinem vel gradus, petis, non obtinebis. Si
 autem negas, tot partes poni posse in B quot
 poni possint in A: partes procul dubio intelligis
 reales: extra se ergo positas. Sed partes reales
 forte fingis, quae extra se invicem positae non
 sint. Fac ergo, ut tales partes concipi possint;

probes, quæ dicis. Sed partes illas ad unam omnes nobis repræsentemus, tanquam elementa per inane adhuc vagantia, antequam ex illis simplicia eorumve vires componamus. Illæ partes vel necessario semper simul sunt, ubi sunt, vel non. Si prius; una tantum substantia simplex ex illis componi poterit. Si posterius, necessario sunt separabiles; una illarum ab altera abesse potest: sunt ergo necessario extra se positæ, quam naturam non mutant, dum componuntur, sed quod ex illis componitur, necessario ex partibus extra se positis constat. Loquimur hic non de iis, quæ rei successive inexistunt, proprie tamen extra se posita non sunt, ut cogitationes: sed de iis, quæ faciunt id, cui alia vel simul vel successive inexistunt. Jam vero partes extra se positæ in simplicia non cadunt; simplicia ergo partes reales non habent; carent ergo magnitudine reali, & quod ad partes ideales adinet, quarum multitudo idealis non nisi magnitudinem idealem constituere potest, omnia simplicia ejusdem necessario sunt magnitudinis. Vires ergo simplicium alia aliis majores omnino concipi nequeunt, nisi magnitudo illis tribuatur extensiva, i. e. partes ponantur extra partes. Videntur tamen realiter concipi posse diversa, quæ ex partibus extra se positis non constant. Sed cardo rei in hoc vertitur, num positæ ejusmodi realiter diversis in simplicibus, ab illis separari queant quædam realitates, quæ tamen una cum reliquis illis inesse possint? Si hoc sensu accipiuntur realiter diversa, omnino per illa realitates extra se invicem positæ intelligi debent. Quod si ergo v. c. memo-

ria, ingenium & iudicium pro realiter diversis, extra se autem non positum habeantur; concedere possum realiter illa differre a se invicem, *non tamen extra se posita esse*; sed tunc non concedo illa separari posse, ita ut in uno intellectu vel anima ponatur memoria tantum, in altera iudicium vel ingenium, vel pars memoriae, pars iudicii, pars ingenii, i. e. memoria minor, iudicium minus, ingenium minus. Si ergo ita separari possunt, re vera sunt extra se posita, vel tamen partibus extra se positum inexistunt vel inhaerent. Experientiae auxilium frustra accersunt, qui in mea non sunt sententia. Georgius Trapezuntius omnem memoriam perdidit, proprii sui nominis oblitus. Ergo memoria ab anima sua separari potuit: ergo anima illius fuit divisibilis. Ex quibus enim colligis, memoriam, iudicium & ingenium esse realiter diversa, *quamvis extra se non posita*, potiori jure id non colligis, quam ego ex amissione memoriae illius ab anima separationem realem animaeque divisibilitatem colligo. Ejusmodi ergo exempla nihil probant; immo jure quaeritur num in anima pura memoria, ingenium & iudicium distingui possint, velut in anima corpori juncta distinguuntur. Sed, ais, intellectus tamen concipitur alius alio major, major calor, majus frigus. Addas, per me licet, majorem virtutem, sapientiam, & quae sunt id generis alia, ubi magnitudo absque positione partium extra partes admittitur. Si autem partes, in quarum multitudine consistere dicitur magnitudo illa intensiva, vel intellectus, vel virtutis, vel caloris, vel frigoris sunt ideales tantum, re ve-

ra quoque illa magnitudo in intellectu tantum
 nostro existit, & in eadem anima, in qua po-
 nis intellectum majorem, maximum quoque po-
 nere licet. Intellectus minor realiter non diffe-
 ret a majore, major non a maximo. Si autem
 partes illae sunt reales, sunt quoque extra se po-
 sitae. Haec ita se habent, & verae sunt hae
 conclusiones, quamvis phaenomena, quae no-
 bis obijciuntur, explicare non possumus. Sed
 explicari possunt; labyrinthus non est inextrica-
 bilis. Quae existunt, nexu quodam inter se
 continentur; habent relationes. Relationes il-
 lae, cum per se non subsistant, libens con-
 cedo, partes extra partes vel reales in illis poni
 non posse, in partes tamen ideales posse dividi.
 Reale autem illud, quod notionibus nostris re-
 spondet, vel absolutum illud, quod omne rela-
 tivum supponit, omnino partes extra se positas
 habere potest, & habeat necesse est, ubi re ve-
 ra adsunt vires inaequales & limitationes ejus
 generis aliae. Quae ergo vera sit magnitudinis
 intensivae ratio, ex hac distinctione intelligi pot-
 est. Sed pergamus. Per intellectum, cui ma-
 gnitudinem tribuimus, vel per quascunque ejus-
 modi qualitates, determinationes & quae sunt
 id generis, necessario vel ipsam substantiam, in
 qua ponuntur, ejusve vim, vel ejus effectus in-
 telligimus. Si vim ipsam intelligimus, necessa-
 rio plus substantiae ponitur in substantia, in qua
 major vis ponitur: ponuntur ergo partes extra
 partes. Sed in simplicia partes extra partes non
 cadunt: nec ergo vires aliae aliis majores. Sed
 simplicia non aliter ac per vires alias aliis mayo-
 res distingui & limitari possunt. Simplicia ita

distincta, ita limitata ergo admittenda non sunt. Sed cogimur illa admittere (in qua sententia ego tamen non sum): est ergo aliquid falsum & verum simul, vel res est inextricabilis. Si effectus hic tantum intelliguntur; intellectus major consistit in pluribus effectibus, sibi succedentibus, qui ergo per numeros distingui possunt. Si certum numerum ejusmodi effectuum magnitudinem vel gradum appellare & hoc sensu vim augeri vis, licet. Dividantur quoque me consentiente, vires in naturales (*immutabiles*) & acquisitas (*mutabiles*). Sed tunc nego, substantiam, quaecunque sit, per ejusmodi gradus limitari posse: effectus enim causam non limitant, sed si sunt limitati, causam supponunt limitatam. Fac ergo, ejusmodi gradus in simplicia cadere; limites tamen simplicium non erunt. Si effectus illi sunt limitati, causam supponunt limitatam; quaestio ergo de limitatione causae, in quo consistat, renascitur. Phaenomena adhuc sunt explicanda. Sunt gradus celeritatis. Motus autem est effectus, qui causam suam habet. Plures ergo ejusmodi effectus ponendi sunt, qui sibi succedant, & per numeros distingui possint. Certus ergo ejusmodi effectuum numerus, temporis simul ratione habita, gradus poterit appellari celeritatis. Magnitudo autem hoc casu non in multitudine partium consistit, sed in multitudine totorum. Effectus enim primus, alterius qui nondum existit, pars esse nequit, nec alter, qui incipit, dum primus desinit, ejus pars dici poterit. Quod ad calorem & frigus, vel ex materia quadam constant, cujus partes procul dubio extra se sunt positae, vel ipsae ipsorum eor-

porum partes, quibus calor vel frigus inesse dicitur, vel quae calida frigida^{ve} dicuntur, partes erunt caloris & frigoris. Si motus ratio habetur, res se habebit, ut modo diximus. Est autem praeterea in omni gradu distinguendum id, quod est reale & non est reale. Limitationem autem accidentalem concipi posse, quae vel in Infinitatem ipsam cadat, ex sequentibus patebit, ubi simul (§. 54. sqq.) sententiam nostram de gradibus illis in entia simplicia vel non quadrantibus, vel illa tamen non limitantibus coram Illustr. WOLFIIUM tuebimur.

§. 17.

Ex omnibus hisce, quae modo dicta sunt, intelligi potest, quam difficilis sit quaestio de substantiarum limitibus. Verum nisi in errores magni momenti periculique incidere velimus, substantiam limitatam consideremus, qualis est, si cum nulla alia comparatur. Observamus autem in substantia tali nobis in conspectu posita vel realiter diversa, vel non. Si nil realiter diversi in illa observamus; ex quo intelligi possit substantiae limitatio, sane non adparet. Ubi in substantia plus substantiae adhuc poni potest, quam in illa est; compositionis alicujus sane est capax vel patiens. Sed ex realiter tantum diversis, quae in substantia data observantur, colligi potest, illi adhuc quaedam (substantialia) addi, vel in alia substantia plus substantiae poni posse. Ubi autem realiter diversa in substantia observantur, ibi, cur de ulteriori ejus positione solliciti simus, nihil

est causa. Ubi enim incipimus, realiter distinguere, vel realiter distinctum quid observare, ibi est principium substantiae, & ubi nil amplius realiter distincti adparet, ibi extremum. Principium & extremum rei ejus absolvunt limitationem. Ubi autem nil realiter diversi observamus; ibi nec principium nec extremum observamus, nec ulterior ejusmodi substantiae positio (substantialis) concipi potest, nisi concipiatur quid realiter ab illo, quod in substantia jam ponitur, diversi, quod illi addi possit. Verum & alio modo hoc potest demonstrari. Omne, quod habet ortum, necessario incipit & definit, vel principium & extremum habet, adeoque realiter diversa in illo observantur. In ente *a se* autem realiter diversa esse nequeunt: cum enim ab alio non sit productum, ab alio quoque ejusmodi realiter diversa connexa conjuncta vel composita esse nequeunt; ipsum autem se ita ex realiter diversis composuisse absque absurditate dici non potest. Est ergo necessario ens *a se* unum purissimum, perfectissimum, vel UNITAS PURISSIMA, PERFECTISSIMA. Substantia, quae est effectus alterius substantiae, vel ejusmodi unitas est, vel non. Si posterius; in substantia, quae est effectus alterius substantiae, necessario observantur realiter diversa. Sin prius; vel ejusmodi substantia *una (simplex)* non est effectus alterius substantiae contra hypothesein; vel ex illa nullo modo intelligi potest, quod sit talis effectus, cum ejusmodi substantia *una (simplex)* possit esse *a se*, & substantia *a se* necessario sit *una* vel *simplex*. Nil ergo est, quod impedit, quo minus illa

substantia sit *a se*. Quod si autem e. g. animam nostram pro substantia simplici habes, & ex effectibus illius, quod sit limitata, intelligi posse tibi persuades: inter ens *a se* & ens *illimitatum* distingui posse concedendum erit. Concipi enim possunt substantiae, quae ab omni aeternitate coexistent, & quae propter solam coexistentiam limitatae sint, in quibus omnibus autem simul sumtis non-limitatio sive infinitas subsistat. Quod *a se* est, existentiae suae rationem habet nullam; qui dicit, illud in se ipso existentiae suae rationem habere, verbis ludit: ratio enim sufficiens existentiae hoc quidem loco denotat causam. Quod si ergo quid sine causa existere potest, quid impedit, quo minus multitudine infinita entia sine causa existant? Aseitatis solum hic ratio habetur, ad quam praeter existentiam & aeternitatem vel potius, ut existat sine causa, nil requiritur. Sufficit, quod non sit effectus alterius. Omne ergo, quod existit, praesumitur esse *a se*, nisi ex qualitate rei certo constet, illam habere ortum vel supponere causam; tunc Aseitas illi nullo modo tribui potest. Si in qualitatem entis *a se* inquirimus, & talem ejus qualitatem detegimus, ex qua certo colligi potest, unicum tantum ens *a se* possibile esse: Unicum quoque ens erit, quod illam habeat qualitatem. Plura entia si eandem haberent qualitatem, entia forent *a se*; cum autem eadem qualitas efficit, ut unicum tantum ens *a se* sit possibile: plura quoque entia illam qualitatem habere nequeunt. Quod si ergo nobis plura entia *a se* repraesentamus, vel plura possibile esse ponimus; vel negamus pro-

sus qualitatē illam, vel solam Aseitatem, qualitate illa praecisa, spectamus. Ex quibus omnibus clare adparet: Ex limitatione quadam accidentali, quae enti illimitato non simpliciter repugnat, (id quod ex definitione illimitati iudicandum est) colligi non posse, ens quodam sensu limitatum non esse *a se*, sed effectum alterius.

§. 18.

A quacunque igitur substantiae limitatione ad ejus existentiae contingentiam, non valet simpliciter consequentia; sed talis limitatio est docenda, quae involuit qualitatem effectus, vel ex qua intelligitur, quod substantia sit effectus alterius. Quod si autem in species limitationum inquirimus, illa limitationis species, quae in realiter diversis, substantiam ipsam constituentibus, consistit, sola erit, ex qua, quod substantia sit effectus alterius, intelligi poterit.

§. 19.

MUTATIONES, variationes rerum & quaecunque e genere modorum vel accidentium nobis esse videntur, vel necessario supponunt limites in ipsa substantia, vel non. Si posterius; vel si illis positis limites in substantia ipsa non ponuntur, sane nulli, nec infinitae repugnant substantiae: infinitas enim substantialis salva manet, vel substantia ipsa non limitatur, cum ejusmodi mutationibus, modis vel accidentibus positis limites in ipsa substantia

NON

non ponantur; mutationes autem ipsae, vel modi illi ipsi limites esse nequeunt, sed quaeritur, num id, in quo vel per quod subsistunt, sit limitatum an illimitatum? Si prius, vel si ejusmodi modi vel accidentia supponunt limites in ipsa substantia; quinam qualesve sint illi limites, & num ex illis, quod substantia sit effectus alterius, intelligi possit, merito quaeritur? Sunt vero limites, quos in substantia ipsa ponimus (substantialia, essentialia, realia), vel verba inania, entia imaginaria adeoque re vera nihil, vel reale, i. e. existens quid. Si limites substantialia sunt reale quid; cum tria sint existentiarum genera (§. 5.), vel sunt substantiae, adeoque entia completa, vel entia absolute incompleta, adeoque vel e genere inexistentium vel necessario coexistentium. Substantiae non sunt, cum substantiae in substantia ut limites ejus absque absurditate poni nequeant. E genere inexistentium non sunt, cum non quaeratur de iis, quae substantiis, ut subjectis suis inhaerent, sed de iis, quae subjectum ipsum conficiunt, quibus ergo, subjectum ipsum constituentibus, inhaerent, quae subjecto inhaerere dicuntur. Sunt ergo e genere necessario coexistentium, quae ut partes Totum conficiunt, extra quod existere, adeoque a se invicem separari, & sine se invicem existere nequeunt, quamvis extra se invicem posita, adeoque realiter diversa vel distincta sint.

§. 20.

Ex ejusmodi limitibus substantialibus, essentialibus & realibus nullo negotio intelligitur,

quod talis substantia, in qua tales limites observantur, sit effectus alterius. Substantia enim absque absurditate se ipsam ita composuisse dici nequit (§. 17.) Absque absurditate igitur, quod sit effectus alterius, negari nequit.

§. 21.

VERUM alia nunc nascitur quaestio, qua nempe via ducamur ad cognitionem eorum, ex quibus, quod substantia sit effectus alterius adeoque re vera finita, certo colligi potest: substantiam enim ipsam vel nostram vel aliam quasi intrueri, in illaque realiter ista diversa observare, mortalibus non licet.

§. 22.

SUPPONAMUS hoc loco existere substantiam infinitam eamque simplicem, praeter illam autem substantias finitas. Jam vero simplicitas non inhaeret infinitati, ut subjecto suo, nec infinitas simplicitati; nec utraque substantiae, quae infinita & simplex esse dicitur; sed infinitas, & simplicitas sunt substantia illa ipsa, vel ad ea pertinent, quae substantiam illam ipsam, & subjectum ipsum conficiunt vel constituunt, cui inhaerent, quae enti infinito simulque simplici inhaerere dici possunt. Ea vero, quae conficiunt substantiam infinitam, nec conjunctim nec separatim substantiam finitam conficere possunt. Si enim substantia infinita est simplex; infinitas & simplicitas, quae illam conficiunt, realiter a se non differunt;

ergo separari nequeunt ita, ut uni substantiae quidem competat simplicitas, sed non simul infinitas; alteri autem & illa & haec competat (§. 14.). Infinitas substantiae, quae infinita nobis appellatur, procul dubio ex omnibus illis constat, vel si mavis, est notio, quae ab omnibus illis abstrahitur, quae substantiam conficiunt, quam infinitam vocamus. Concipi ergo possunt partes vel reales vel ideales, infinitatis. Simplicitas erit pars vel realis, (quod tamen foret absurdum); vel idealis infinitatis. Quod vero est pars infinitatis, ad substantiam finitam pertinere nequit. Non enim sermo est hoc loco de infinitate, respectu quantitatis tali, & substantia finita hoc loco non habetur pro parte substantiae infinitae, sed potius infinitum ita concipitur, ut nil, nisi quod sit infinitum, ab illo separari possit, si quid ab illo separari possit. Substantia finita ergo simplex esse nequit. Verum consideremus simplicitatem ut attributum substantiae infinitae, quamvis simplicitas & infinitas ad illa pertineant, quae substantiam ipsam conficiunt; non ad ea, quae inexsistunt, sive sint attributa, sive modi. Cum vero infinitum nullum attributum commune habeat cum finito (§. 4.); simplicitas, si est attributum infiniti, finiti non aequè attributum esse potest. Omne finitum ergo erit non simplex: in omni ente finito ergo realiter diversa observabuntur; ex realiter vero diversis hisce certo colligitur, rem esse effectum alterius.

§. 23.

EVOLUTIO substantiæ, & quæ in illa sibi succedunt, indicant realiter diversa in substantia ipsa: quæ enim diversa si non in substantia essent, nil obstaret, quominus omnia simul illi inessent, quæ illi inesse possunt, firmamentumque nullum foret, e quo penderent successiones. Quæ sibi succedunt e genere inexistentiam diversa omnino supponunt in subjecto, cui inhaerent; res aliter concipi nequit. Qui existentiam entis simplicis admittunt, cui omnia simul insunt, quæ illi inesse possunt, & in quo non sint successiones: admittunt quoque tale quid, quod impediatur, quominus succedant, quæ simul insunt. In substantia ergo, in qua sunt ejusmodi successiones, ponendum quoque est, quod impediatur, quo minus simul insint, quæ succedunt. Talis substantia ergo simplex esse nequit, cum in simplici sit, quod impedit, quo minus succedant, quæ simul insunt.

§. 24.

Ex evolutionibus ergo & successibus in substantiis observatis recte colligitur illa earum natura, quæ realiter diversa in illis ponitur, ex quibus consistunt; ex hisce autem realiter diversis vel partibus substantialibus sponte consequitur, ejusmodi substantiam esse effectum alterius, adeoque realiter finitam.

§. 25.

IMMEDIATE ergo ex ejusmodi evolutionibus et successibus, limitationem indican-

tibus, colligi nequit, quod substantia, in qua talia observantur, sit effectus alterius, & hoc sensu finita; sed colligitur ex hisce observatis, quod in tali substantia observari debeant realiter diversa; ex quibus realiter diversis autem demum colligitur, quod substantia necessario sit effectus alterius.

§. 26.

SUBSTANTIA limitata vel finita eo sensu, quo, quod finitam est, necessario effectus alterius est, est ergo Torum (*absolutum, metaphysicum*) quod habet partes (*absolutas, non relativas*), quae necessario coexistunt, & quidem extra se positae sunt in eodem Toto, quarum nulla autem extra Torum existere potest (§. 8.). Limites ergo (*essentiales, reales, substantiales*) sunt partes illae absolutae, vel substantiales.

§. 27.

EXTENSIO, quam CARTESIUS corporis essentiam, SPINOSA attributum Dei, LOCKIUS spatium a corpore distinctum esse existimavit, est primum existentiae abstractum, cum, si quid ut existens nobis repraesentamus, quod quale sit, nondum determinamus, primum procul dubio sit, de quo solliciti sumus, quantum existentiae in illo sit ponendum. Extensionis ergo imago nobis vel invitae observatur. Inextensum in nostram cogitationem plane non cadit, quamvis procul dubio ens, ali-

quo sensu inextensum, existat. De extensione autem cogitantes, nondum de partibus extra partes cogitamus, immo extensionem nobis repraesentare valemus, partium extra partes ratione habita nulla. Extensio ergo substantiae simplici tribui potest, ea nempe, qua posita partes extra partes non ponuntur. Ratione substantiae infinitae unum idemque est, num illam in infinitum esse extensam, an plane non extensam esse dicamus. Posteriori enim casu tantum limites negamus, vel ab illa removemus, quos non minus negamus vel removemus, in infinitum illam esse extensam asserentes, modo ne illi magnitudinem comparativam (de qua haecenus sermo fuit) quamvis maximam, attribuamus, ab hac repraesentatione potius separantes, quodcumque in finita tantum cadit. Quod si igitur cum extensione principii & extremi ideam conjungimus; finita tantum substantia, omnis autem, erit extensa, & extensio nil erit nisi ipsa substantiae limitatio (*essentialis, substantialis*). Limites ergo substantiae reales, *partes nempe ejus absolutae, substantiales* (§. 26.) sunt causa vel origo extensionis ejus. Quae autem extensio, qua nempe posita ponuntur limites in substantia & partes, est vera & absoluta extensio, distincta ab adparente, (*phaenomenali*) & relativa, quae soli corpori est propria, quatenus dicitur plurimum Totorum (*substantiarum*) aggregatum, & sensus nostros afficit.

§. 28.

Ex omnibus illis autem, de quibus in hoc capite disseruimus, abunde patet, quid de

METAPHYSICAE. §. 29. 55
propositionibus istis sit sentiendum, quas Ill.
WOLFIUS in Ontologia P. II. Sect. II. Cap. III.
stabilire voluit. Quinam sint veri substantia-
rum limites jam, nisi fallor, non obscure in
commentatione mea de animarum natura (*Ver-
such über die Seele*) T. I. §. 28. sqq. & p. 189. sqq.
explicui, &, saepius de re tam ardua meditans,
quae stabilivi principia, adhuc inconcussa re-
perio.

§. 29.

DE DIVISIBILI ET INDIVISI-
BILI.

MATERIA variis modis a nobis percipi-
tur, modo sub hac, modo sub alia figura, &
ut uno verbo dicam, quod res est: materia mu-
tatur continuo, & quod modo ut Totum a no-
bis consideratum est, nunc dissolutum, hocque
vel illud *illius partem esse* dicimus. Quam ma-
teriae mutabilitatem *divisibilitatem* nobis appel-
lare visum est. Verum quod dividi videtur,
mutat tantum figuram, & spatium modo majus,
modo minus occupat, miscetur cum aliis &
tandem sensus nostros fugit. Ex ejusmodi ma-
teriae mutabilitate colligi nequit nec ejus in in-
finitum divisionis, nec in initia vel elementa
resolutionis possibilitas. Quod ad divisibilita-
tem infinitam attinet, vel quaeritur, num
materia in infinitum sit mutabilis, i. e. sub for-
mis figurisve aliisque modis infinite variis exsi-
stere, percipi & repraesentari possit, & hoc
concedi posse videtur; vel quaeritur, num ma-

teria constet ex pluribus entibus compositis, quae a se invicem separari possint, ita tamen, ut, quod separatur, semper compositum quid sit, a quo iterum & sic in infinitum compositum quid separari possit? Ante quam autem haec quaestio solvi potest, constare debet, re vera aliquid separari posse a materia. Materia sub variis formis figurisve apparet, quarum intuitu discernitur in plura corpora, quae a reliquis *in tantum* vel certo respectu sunt separata, & nemo est, qui negat, ab ejusmodi singulis corporibus aliquid separari posse. Verum id, quod separatur, alii statim adhaeret vel additur corpori, & quantum corpora a nobis dissolvi possunt, experientia teste, vel cum terra, vel cum aqua, vel cum aëre miscentur. Consideremus ergo, singulorum horum corporum ratione habita nulla, materiam potius ut rudem indigestamque molem & inquiramus in ejus divisibilitatem. Quod ab universa materia, vel rudi illa indigestaque mole separatur, vel extra id, a quo separatur, est, vel non. Si non est extra id, a quo separatur, sed aliquo modo cum illo adhuc cohaeret, re vera non est separatum, vel vera realisque divisio non existit. Si autem extra id, a quo separatur, re vera est; necessario inter illud, a quo separatur, & separatum ipsum spatium quoddam vel *omnino* vel *materia* saltem *vacuum* admittendum est. Quod si hoc sensu dividitur materia, id quod ita separatum est, tantum divisibilitatis in se continere nequit, quantum universa materia ante hanc separationem vel divisionem in se continuit. Itaque neque id, a quo aliquid hoc modo & sensu

separatum est, nec id, quod separatum est, amplius in infinitum divisibile dici potest, cum utrumque, separatione facta, necessario minus divisibilitatis vel materiae divisibilis in se contineat, quam antea. Sic A. materia universa: B. quod ab illa separatur. B. ita separatum iterum dividatur; in infinitum autem divisibile non est, resolvitur ergo demum in initia vel elementa, vel prima entia, quae soluto nexu adhuc per se subsistere possunt, adeoque substantiae sunt, sed minime in simplicia. Materia enim, si re vera est divisibilis, aliter ac aggregatum plurium compositorum concipi nequit; compositum autem hoc loco omne id vocatur, quod *ejusdem est qualitatis ac materia*. Quod ergo a composito (*materia*) separatur, iterum compositum (*materia*) est, quod denuo in composita resolvitur, donec *prima detegantur composita, quae in alia composita resolvi nequeunt*. Eorum ergo compositorum partes non sunt iterum e genere compositorum, vel non iterum habent partes. *Id nimirum, ait LUCRETIVS, sine partibus exstat, alterius quoniam est ipsum pars*. Nec tamen partes illae sunt entia simplicia, quia ens simplex est Totum, *hoc vero loco pars eo sensu accipitur, quo opponitur Toti*.

§. 30.

CUM composita, quantum sensus afficiunt nostros, ex aliis compositis constent, ad composita tandem perveniendum est, quae in ulteriora composita resolvi nequeunt, adeoque optimo jure *prima composita* mihi appellantur.

In simplicia vero non resolvuntur, cum simplex compositi sit oppositum, & compositum ex non-composito non magis oriri possit, quam aliquid ex nihilo.

§. 31.

Qui compositum definiunt per multitudinem rerum, quas vocant partes, & in simplicia illud resolvunt, tacite jam sub parte id intelligunt, quod postea ens simplex vel monadem appellant, ita ut idem sit, ac si compositum definirent per multitudinem vel aggregatum simplicium, & tunc ex definitione existentiam elementorum simplicium, quam in illa supponunt, demonstrarent.

§. 32.

Quod si enim sub parte ens simplex non intelligunt, necessario intelligunt ens compositum adeoque compositum per aggregatum compositorum definire necesse habent. Stabiliunt ergo compositi in infinitum divisibilitatem, cum semper in ulteriora resolvatur composita, nec unquam in prima composita, quae in ulteriora resolvi nequeunt; ignorant enim prima illa composita, de quibus hic ago.

§. 33.

SOPHISMA eorum, qui defendunt elementa simplicia, ita se habet. Negant materiae in infinitum divisibilitatem; ergo, ajunt

concludentes, detegimus tandem, quae amplius
 in partes dividi nequeunt. Sed sub parte ipsa
 intelligunt vel ens compositum vel simplex. Si
 prius, compositum illorum, per quod intelli-
 gunt id, quod habet partes (WOLF. *Ontolog.*
 §. 531.), omnino & vel illis invitis in infinitum
 erit divisibile, quia partes sunt entia composita,
 & entia composita illa, quae habent partes;
 compositum autem aliter dividi nequeat ac per
 separationem partium, ergo compositum aliter
 dividi nequeat, ac per separationem compo-
 sitorum a composito; nunquam ergo compo-
 situm dividentes ad id perveniunt, quod non est
 compositum, cum partes, in quae resolvunt
 compositum, sint entia composita. Si poste-
 rius, vel si per partem intelligunt ens simplex;
 ita ratiocinantur. Compositum constat ex par-
 tibus (simplicibus): simplex non habet partes,
 i. e. simplex non constat ex simplicibus vel sim-
 plex est simplex. Materia non est in infinitum
 divisibilis, hoc est, materia constat ex simplici-
 bus. Si ergo materia in infinitum non est divi-
 sibilis, hoc est, si constat ex simplicibus; ma-
 teria procul dubio constat ex simplicibus, vel
 ejus elementa sunt simplicia.

§. 34.

VERUM ita ratiocinari deberent: Quod
 sensibus percipimus, compositum appellamus,
 quale sit, adhuc ignorant. Composita, quae
 sensus nostros afficiunt, variis modis mutantur,
 alia aliis miscentur, alia aliis interponi & sic di-
 vidi posse videntur. Quae autem composita;

quantum sensus nostros afficiunt, & quousque a nobis mutari, vel, ut dicimus, realiter dividi possunt, in ulteriora semper resolvuntur composita, quae vocamus partes, sed tantum certo respectu tales vel relativas, cum hae partes iterum sint Tota composita, in partes ejusmodi (*relativas*) denuo resolubilia & sic porro. Omne relativum, quod non est mere imaginarium vel ideale quid, supponit absolutum vel positivum quid, e quo tanquam e firmamento suo pendeat. Composita ergo in ulteriora composita resolventes tandem ad prima vel absoluta illa composita pervenimus, quae in ulteriora composita resolvi nequeunt, sed ex quibus omne illud compositum constat, quod sensus nostros afficit, & plurium compositorum est aggregatum. Compositum illud, quod jure optimo compositum secundum, vel derivativum vel relativum appello, supponit ergo compositum primum vel primitivum vel absolutum, quod adeo in ulteriora composita resolvi nequit, cujus partes ergo non sunt relativae, vel ulteriora composita, sed primitivae & absolutae, quae non iterum partes habent. Pars autem ejusmodi (*absoluta*) eo sensu est accipienda, *quo opponitur Toti*, ita ut nullo respectu ipsa tanquam Totum aliquod considerari possit.

§. 35.

ITAQUE ibi, ubi nulla amplius divisio locum invenit, simplicia necessario non ponuntur, vel divisibilitate ulteriori exclusa simplicitas non ponitur. Planum jam fecimus (§. 8.),

illi, quod partes non habet, absque absurditate opponi non posse idem, quod partes non habet, adeoque simplici (vel illi, quod partes non habet) opponi non posse compositum, quatenus aggregatum simplicium dicitur. Tale enim compositum simplici opponentes re vera nil nisi simplex simplici opponimus. Quantitas vel pluralitas rerum sola efficere nequit, ut e. g. B. C. D., si sunt ejusdem qualitatis, cujus est A. tanquam res diversae qualitatis $\tau\omega$ A. opponi possint. Ubi ergo partes, quae iterum habent partes, relativas ergo, observamus, *ad partes, quae non iterum habent partes, absolutas ergo, vel ad entia, quae ex ejusmodi partibus constant, ipse naturalis noster cogitandi modus nos ducit.*

§. 36.

ETIAMSI autem ex iis, quae modo dicta sunt, abunde patet, quod ab exclusione ulterioris divisionis ad simplicia non valeat consequentia; tamen nondum ex hisce efficitur, materiae in simplicia resolutionem impossibilem esse. Ego vero argumenta illa omnia hic silentio praetereo, ex quibus probavi, omne finitum, vel quod est effectus alterius, necessario esse non simplex. Alia mihi suppetunt argumenta.

§. 37.

COMPOSITA, quae sensus nostros afficiunt, existunt re vera extra nos (§. 1.), quapropter realia illa appellare liceat. Composita variis modis a nobis percipiuntur, & procul du-

bio qualitibus gaudent, quae in sola quantitate vel pluralitate rerum, composita conficientium, frustra quaeruntur. Extensio illa, qualis est, quae sensibus a nobis percipitur, omnino alia est, ac illa, quae a sola pluralitate rerum non extensarum originem trahere dicitur. Alia est plurium rerum repraesentatio; alia extensi repraesentatio. Mira illa materiae varietas & mutabilitas, si non est mere ideale quid, sed reale quid, quomodo in sola rerum pluralitate rationem habere possit suam, omnino concipi nequit. Etiam si ergo libenter concedam, materiam qualitates habere relativas, quibus careret, si a nobis aliisve entibus plane non perciperetur, vel alio modo perciperetur, tamen simul concedendae sunt qualitates illius absolutae & positivae, sine quibus nec a nobis percipi, nec talis videri possit, qualis nobis videtur. Necessesse est ergo, ut partes, in quas ultimo resolvitur materia, ejusdem sint qualitatis, cujus est Totum ex illis compositum. Quod si ergo in materia observantur qualitates, quibus entia simplicia omnino carent, & quae ex sola rerum talibus qualitibus carentium pluralitate vel quantitate nullo modo derivari possunt; recte inde colligitur, materiam ex simplicibus non constare.

§. 38.

QVOD si autem materia (ab experientia enim hic deserimur) re vera non sit divisibilis, sed mutabilis tantum & distinctionum internarum, ut ita dicam, capax, ita ut nihii ab illa plene separari possit, hoc nempe sensu, quo posita

hac separatione, inter materiam, a qua quid separatur, & id, quod ab illa separatur, spatium quoddam vel omnino vel materia tamen vacuum necessario ponatur: hoc in casu ne quaeri quidem posset, num materia in infinitum sit divisibilis, an in initia resolubilis. Quid autem, si materia nil nisi mutabile quid esset, & subjecto cuidam inhaereret. Quid, si inane vel vacuum id subjectum esset, si naturarum intelligentium, propter quas materia existere videtur, simul habeatur ratio?

§. 39.

Cui vero argumento ut longius immerer, instituti mei ratio non patitur. Quid sit, quod realiter vocamus divisibile, nunc considerandum & explicandum venit. Est autem ens, a quo talia separari possunt, quae separatione facta, adhuc per se subsistunt, adeoque substantiae sunt. Est ergo divisibile aggregatum plurium substantiarum; est ergo materia, si est vere divisibilis, plurium substantiarum aggregatum (§. 29.). Indivisibile est, a quo talia separari nequeunt, quae separatione facta adhuc per se subsistere possunt, adeoque substantiae sunt.

§. 40.

NON ergo necessario de indivisibili partes sunt negandae, cum ad oppositionem sufficiant partes a se invicem non separabiles. De illo, quod plane partibus caret, potiori jure vel majori cum ratione quaeri non potest, num sit

divisibile an indivisibile, quam an sit album vel nigrum? Illi, quod partes habet, opponitur, quod partibus caret. Cum autem positis partibus non necessario ponatur divisibilitas, sed indivisibile quoddam, quod partes habet, concipi queat; Divisibili, quod procul dubio partes habet, recte & immediate opponitur, quod partes habet, sed a se invicem inseparabiles, adeoque indivisibile est. Id ergo, de quo quaeri potest, num sit divisibile an indivisibile, partes omnino habet, vel separabiles, vel inseparabiles; ejus, in quod talis quaestio ne cadit quidem, ratio habetur nulla.

§. 41.

DE ENTE MEDIO VEL
NEVTRRO.

DIVISIBILE est aggregatum plurium substantiarum, & appellatur compositum; indivisibile meum non est ergo compositum, nec tamen simplex: medium ergo tenet locum.

§. 42.

OMNES fere philosophi ea, quae composita dicimus, ex initiis vel elementis orta esse, in eademque ergo realiter resolvi posse docent, sive spectem DEMOCRITI atomos, sive CARTESII talos, sive HOCKII & LOEWENHOEKII globulos, sive LEIBNITII & WOLFII entia simplicia vel monades. Distinguuntur ergo a philosophis fere omnibus elementa a compositis

is vel corporibus. Quod si ergo elementa non simplicia deteguntur, qualia mea; non a composito solum, sed & a simplici erunt distinguenda. Inter compositum & simplex erit ergo, quod medium teneat locum. Si ejus, quod partes habet, duae constituantur species divisibilis nempe & indivisibilis; ens meum medium vel neutrum (quod nempe nec simplex nec compositum est) esset species compositi, si omne id, quod partes habet, compositum appellandum foret. Verum quis non videt, non univoce hic partes poni? Compositi partes non sunt verae partes, sed substantiae, adeoque Tota; entis medii vero partes sunt verae partes, eo nempe sensu, quo pars opponitur Toti ita, ut nullo respectu iterum ut Totum considerari queat. Pari jure simplicis duae species constitui possent. Simplex sit, quod dividi nequit; quod autem dividi nequit, vel prorsus non habet partes, vel partes a se invicem inseparabiles. Quod autem tam compositi quam simplicis species esse potest, cur medius inter utrumque illi disputetur locus, nihil sane est causa.

§. 43.

DE VERA ENTIS SIMPLICIS NOTIONE.

ETIAMSI non omnes philosophi, si potissimum veteris & scholasticae, ut ajunt, philosophiae ratio habeatur, de vera entis simplicis notione conveniant; nostratibus tamen ens simplex omnibus omnino partibus exuere, nec ul-

la in illo realiter distincta vel extra se posita admittere placuit, WOLF. l. c. §. 676. Compositum opponunt simplici. Quaelibet pars compositi procul dubio ejusdem est qualitatis ac totum; quaelibet pars compositi ergo compositum quid est ratione qualitatis, vel nulla pars compositi idem illud simplex esse potest, cui compositum opponitur. Verum philosophi observantes, quodlibet compositum in ulteriora composita resolvi posse, omne compositum partes habere dixerunt. Sed hae partes iterum habent partes, adeoque verae partes non sunt. Compositum ergo, quatenus iterum atque iterum in ulteriora resolvitur composita, veras non habet partes, adeoque opponi debet tantum illi, quod veras habet partes, quae non iterum habent partes, quod ergo in ulteriora composita resolvi nequit, sed est compositum primitivum. Simplex ergo si datur, & eo accipitur sensu, quo immediate opponitur composito, diversae plane qualitatis sit necesse est, ac compositum ejusque partes, in quibus singulis divisim subsistit qualitas compositi. Nulla ergo pars compositi ejusdem qualitatis esse potest, cujus est ens simplex, & compositum primitivum, quod in ulteriora composita resolvi nequit, compositum illud est, cui simplex opponendum, vel quod simplici opponendum.

§. 44.

NOTAVIMVS jam (§. 3.), ens non extensum (simplex) in nostram non cadere cogitationem, vel a nobis re vera non repraesentari ni-

si quatenus est relativum quid, vel quatenus colligimus ex certis effectibus vel rationibus, existere forte aliquid, cui extensio non competat, quod autem, quale sit, ignoremus. Quodlibet existens cum extensione quadam a nobis concipitur, & talis est naturalis noster cogitandi modus. Aliud est, negare extensionem, aliud, non-extensionem nobis tanquam qualitatem entis cujusdam positivam, repraesentare (§. cit.). Si ergo negamus de ente aliquo ejus ex partibus compositionem & extensionem; quid haec negantes ponimus, ignoramus. Tantum nos non fugit, nulla in ejusmodi ente poni posse, quibus positae ponantur partes. Quod si ergo mutabilitate quacunque & successione rerum quacunque in hoc ente posita ponuntur partes; merito mutabilitas quaecunque de illo erit neganda, & omnia, quae illi inesse possunt, illi simul ineruat.

§. 45.

COMPOSITUM est necessario limitatum, vel positae partibus necessario ponuntur limites. Limitatio, quae posita partes non ponantur admitti nequit: limitatio (substantialis) enim vel in partium positione vel in partium non-positione vel in neutro consistit. Si prius; non simul in partium non-positione (simplicitate) consistere potest. Si posterius; nullum compositum erit limitatum. In utraque, partium nempe & positione & non-positione limitatio consistere nequit, vel hoc idem est, ac si dicamus, compositum & simplex aequè limitabile

esse, sed nec in compositione nec in simplicitate consistere limitationem, ergoque nec compositum, quia est compositum, nec simplex, quia est simplex, limitatum esse. Verum enim vero cum omnis substantia vel sit composita (media natura), vel simplex: limitatio substantialis omnino vel in compositione vel in simplicitate ipsa consistat necesse est. Quod si ergo positis partibus limitatio ponitur; partibus non positibus limitatio non ponitur. Compositum & simplex sibi opponuntur. Si ergo compositum est limitatum, quia partes habet; simplex non est limitatum, quia partes non habet. Si ergo nihilominus simplex limitatum dicendum foret, tamen non, quatenus est simplex, limitatum foret, & sic quoque non de limitatione substantiali sermo esset.

§. 46.

OMNIA entia limitata communem habent essentiam, quatenus solius limitationis illorum ratio habetur. Si ergo positis partibus limitationem poni constat, limitatio illa, quae in partium positione consistit, est vera limitatio, quae in omnibus entibus limitatis observatur, quae communem non haberent essentiam (qua limitata), si limitatio adhuc conciperetur, qua posita partes non ponerentur, quae ergo limitationi illi immediate opponeretur, quae positibus partibus necessario ponitur. Alia omnino est limitatio, qua posita partes necessario ponuntur, alia, qua posita partes non ponuntur, sed excluduntur. In simplici nil ponitur, nisi cuius positio sit

exclusio partium. Posita vero limitatione partes non excludi constat. Una ergo tantum concipi potest limitatio, qua posita partes vel ponuntur vel excluduntur, sed non talis, qua posita partes & ponuntur & excluduntur. Si posita limitatione excluduntur partes: impossibile est, ut compositum sit limitatum; si ponuntur, impossibile est, ut simplex sit limitatum. Si nec ponuntur, nec excluduntur; de alia limitatione sermo est ac de substantiali & essentiali, omnibusque entibus limitatis communi. Si ergo compositum necessario est limitatum; simplex, quod illi opponitur, necessario est illimitatum. Verum planum jam alio loco (§. 15. sqq.) fecimus, ad limitationem essentialem vel substantialem necessario realiter diversa in ipsa substantia observanda requiri, quibus positae substantiae ortus, vel quod sit effectus alterius, necessario ponatur; quamcunque aliam limitationem autem non impedire, quo minus ens alio sensu limitatum sit *a se*, vel careat ortu, *omni causa extralud posita*, cujus sit effectus, *exclusa*.

§. 47.

SIMPLEX ergo quale sit, vel quid e genere absolutorum vel positivorum demum ponatur, partibus quibuscunque sublatis vel exclusis, semper ignorantes, tantum tamen cognitum habemus & perspectum, quod exclusis partibus excludatur limitatio, quod ergo ens simplex sit ens *illimitatum* & *a se*. Cum vero non nisi ex existentia ejus entis illius possibilitas (realis, cui existentia non repugnat) tuto possit colligi (§. 1.)

ex impossibilitate materiae divisibilitatis infinitae autem existentia simplicium colligi nequeat, cum composita in ulteriora composita resolventes tandem ad primitiva composita, quae in ulteriora composita resolvi nequeunt, non autem ad simplicia perveniamus (§. 29-37.): nec animae nostrae, si ejusmodi compositum, in ulteriora composita semper resolubile, vel, si mavis, plurium substantiarum aggregatum esse nequit, primitivi saltem compositi qualitas repugnet: cum, inquam, hac via ad cognitionem simplicium non ducamur, alia argumenta indaganda sunt, quibus existentia entis simplicis evincatur.

§. 48.

QUAEVIS substantia est vel composita, (natura media) vel simplex. Substantia composita non potest esse *a se*; *se ipsam* enim *componere* non potuit; composita ergo est ab alia substantia. Loquimur hoc loco de substantiis ipsis & de compositione existentiae ipsius; vel interna, quam propter substantiam esse compositam (mediam naturam), dicimus. Non autem sermo est de compositione externa vel respectu ordinis coexistendi tali, quò sensu substantiae, nexus, quo inter se continentur, ratione habita, unum Totum vel Compositum conficere dicuntur. Nil enim obstat, quominus substantiae hoc sensu se ipsas composuisse vel quo minus ab aeterno coexistisse dicantur. Talis compositio, i. e. *coexistentia*, *nexus*, nullius substantiae Aseitatem tollit. Per-

venimus ergo tandem ad substantiam, quae nec se ipsam composuit, nec composita est ab alia: ergo *a se* & necessario *simplex* est, & *illimitata* simul. Considerantes ens simplex, nil invenimus in illo, quod ortum necessario supponat, & cum ens *a se* necessario sit simplex, res ipsa loquitur, enti simplici Aseitatem non repugnare. Quotquot ergo entia simplicia possible sunt; tot entia *a se* sunt possible. Non est, quod excipias, plura entia illimitata non concipi posse; concipi enim potest limitatio, quae enti *a se* non repugnet, illa nempe, qua posita aeternitas existentiae vel Aseitas non excluditur (§. 17.). Ponantur entia *a se* A & B.; si sola coexistentia τ B. impedit, quominus A. omnia efficere possit; Aseitas nil detrimenti inde capit. Omnia enim entia *a se*, si plura existere ponuntur, ab omni aeternitate coexistunt, & aliter non sunt concipienda, ac ita, ut *integra infinitas* (liceat mihi ita loqui) in omnibus simul subsistat. Idem sane est, si dico ens *a se* A. non omnia efficere posse propter coexistens B. ac si dico, omnipotentiam ad impossibilia se non extendere, vel sapientiam illi hoc illudue non permittere. Unum idemque est, num limitem omnipotentiam per sapientiam, an ens *a se* A. per coexistens B. Si limitatio ejus generis est, ut ex illa neutiquam consequatur, rem limitatam existentiae suae rationem in alia habere, ejusmodi limitationem Aseitas omnino non excludit. Aseitatem ponimus; dum negamus ens, quod *a se* dicimus, esse effectum alterius. Ne autem quid sit effectus alterius, necesse non est, ut omnes omnino habeat realitates possible. Fac, plus ejus-

dem realitatis in A poni quam in B; inde tamen (si interrae compositionis $\tau\tilde{A}$ & $\tau\tilde{B}$. ratio habetur nulla, vel illa negatur, utriusque simplicitate posita) non sequitur, $\tau\tilde{A}$. vel $\tau\tilde{B}$. non esse *a se*; sequitur tantum $\tau\tilde{A}$ & $\tau\tilde{B}$. necessario coëxistere. Unum idemque autem est, si per ens a se intelligo entia multitudine infinita, sed necessario coëxistentia, vel unum tantum ens. Si unum exsistere potest, cujus existentia non habet causam; mille quoque exsistere possunt sine causa. Si plura entia *a se* re vera exsistere mihi persuaderem, ego quidem talem illorum speciem animo meo repraesentarem, vel ita rem conciperem, ut nullum illorum alio sit majus, sed unumquodque suas habeat realitates proprias, quarum comparatio duci non posset. Sed nil obstat, quo minus etiam plura entia *a se* concipiantur, quorum aliud alio re vera majus sit, dummodo non successive, sed simul sint, adeoque ab omni aeternitate coëxistant, unumque Totum conficiant. Ratio hujus inaequalitatis & coëxistentiae ipsa plurium entium *a se* possibilitas est. Hoc autem locointer *possibile* & *cogitabile* non distinguo, alio loco impossibilitatem plurium entium a se demonstraturus. Hoc interim evictum esse spero, si id, quod non omnes omnino habet realitates, saltem quae simul poni in ente possunt, limitatum dicendum foret, ejusmodi limitationem ens *a se* non abhorrere. Si unicum tantum ens *a se* possibile est, aliter se res habet. Si ergo ejusmodi ens *a se* quibusdam realitatibus caret, inde sane non consequitur, illud non esse *a se*, sed potius plura entia *a se* esse possibile, illudque ens

omnes omnino realitates ea propter non habere, quia plura entia *a se* possibilea sint. Aseitas ergo sola non est causa, si unicum tantum ens *a se* possibile est.

§. 49.

DEMONSTRAVIMUS (§. 15. sqq.), nulum ens substantialiter limitatum vel finitum esse, eo nempe sensu, quo finitudo qualitatem effectus simul involuit, in quo non observentur realiter diversa, vel quod non sit compositum (media natura, ens neutrum). Effecimus non minus, omne ens *a se* necessario esse simplex (§. 48.). Verum cum plura entia *a se*, per se invicem quodammodo limitata, concipi possint (§. cit.), & nulla limitatio enti *a se* repugnet, qua posita non tollitur Aseitas: Infinitas quoque concipi potest successiva, quae in pluribus entibus *a se* divisim subsistat, & cui opponatur Infinitas simultanea, quae tota in una substantia subsistat, adeoque, si plures ponerentur substantiae *a se*, in unaquaque illarum tota subsisteret. Existentiam infiniti existentia finiti extra omnem dubitationis aleam ponit. Verum quaeritur, qualis infinitas sit admittenda, num *successiva*, vel ratione quantitatis talis, num *simultanea*, vel ratione qualitatis talis? Immoremur ergo adhuc huic argumento, quamvis quae de limitibus §. 15. sqq. disseruimus, sufficere videantur. Sed demonstranda adhuc est substantiae infinitae unitas.

DE INFINITATE SUCCESSIVA
ET SIMULTANEA.

PHILOSOPHI veteres nullam fere Infinitatem, nisi Naturae Materiaeque cognoverunt. Alii aëra, ut ANAXIMENES; alii ignem, ut PARMENIDES & HERACLITUS: alii aquam ut THALES, primam eamque infinitam esse materiam sibi persuasere. MELISSUS autem hoc, quod esset infinitum, & immutabile, & fuisse semper & fore, CICERONE teste, docuit. Stoici mundum hunc cum mente vel anima sua, infinitum esse existimarunt. Materiae infinitatem credentes limites ejus internos concedunt: externos, vel extensionis (fines extremos) negant. Concedant nempe, partes materiae, si singulae cum singulis comparentur, limitatas esse, necesse est. SPINOSA, quamvis unam tantum dari substantiam, eamque infinitam, firmiter sibi persuaserit, nihilominus limites in illa, non vero essentiae nec existentiae, sed tantummodo in modo, quo existit, infinite vario & variabili, esse posuit. Infinita enim infinitis modis, SPINOSA auctore, ex necessitate naturae divinae sequuntur, & quae ex illa sequuntur, naturam naturatam vocat, vel attributorum divino- rum modos, qui modi cum attributis hisce, quorum sunt modi, unam eandemque naturam, quam naturam naturantem vocat, conficiunt, ut adeo natura naturans & naturata una eademque sit natura, & differentia, si forte differant, in verbis tantum quaerenda sit. Quum vero SPI-

NOSA non neget, corpus, quo majus dici possit, finitum esse, cogitationemque alia cogitatione terminari: in modo quo substantia sua unica existit, infinite vario & variabili, limites quosdam concedit: quaevis enim extensio (*corpus*) & quaevis cogitatio (*spiritus, anima*), quarum alia aliâ, extensio extensione, cogitatio cogitatione, terminatur, sunt modi, infinite varii, quibus substantia illa unica existit. Existit ergo modis infinite variis, quorum alii aliis terminantur, vel limitantur.

§. 51.

ITAQUE cum tot tantique philosophi, quos ne omnes enumerem, veniam rogo, Infinito, salva infinitate, limites quodammodo inesse posse sibi persuaserint: sane operae pretium est, ut in veram entis infiniti notionem inquiramus. Necessè enim est, ut distinguamus distinguenda, & sciamus saltem, quid infinitum non sit, vel quid sit re vera finitum, & quomodo ejus oppositum a nobis concipi possit & debeat. Quod est *a se*, distingui potest ab eo, quod est infinitum, illimitatum. Sed evicta entis *a se* unicitate, infinitum rectè dicimus, quod est *a se*, & omnia tenet, omnia occupat. Quis autem non animadvertit, posita omnitudine, poni terminum, poni finem? Ponitur, ubi necessario subsistendum est, & secundum naturalem nostram cogitandi modum id tantum infinitum nobis videtur, ubi ulterius progredi, sed plane non subsistere licet. Id quod tamen haud impedit, quominus ejusmodi ens re vera

sit infinitum, vel ut tale extra intellectum nostrum existat, quamvis quatenus in illo existit, finitum tantum vel infinitum sit. Sed pergamus. Essentialia Ill. WOLFIIUS appellat, quae in ente sibi mutuo non repugnant, essentiamque entis constituunt, nec tamen per se invicem determinantur, Ontol. §. 143. Quae per se invicem non determinantur, in eodem subiecto ita una insunt, ut in aliis separatim deprehendantur l. c. §. 127. Verum quis non videt, hunc modum, quo ens concipitur, optime quadrare in Infinitatem successivam, vel quae divisim in pluribus subiectis sive substantiis subsistit, & finitudinem concipi posse sub forma partis Infinitatis. Ens infinitum simplicitatem saltem cum finito communem habere dicit. Idem philosophus omne ens finitum habere limites (l. c. §. 825.), & omnem modum in limitibus consistere asserit (l. c. §. 828.), realitatem tamen ipsam, quae limitatur, non mutari (§. 827.). Itaque habemus realitatem, quae non est limes, sed quae limitatur, & limitem mutabilem. Essentialiae rerum sunt immutabiles l. c. §. 300. Essentialiae rerum ergo non sunt limites. Attributa sunt immutabilia *ibid.* §. 313. Ergo nec attributa erunt limites. Sunt limites ergo e genere modorum, vel, ut philosophus §. 835. se ipsum interpretatur, „ in ente finito seu substantia finita concipiuntur quaedam **FIXA**, „ quae essentiam & inde resultantia attributa „ constituunt, & **PRAETEREA** „ quaedam **LIMITATIONES** ejusdem „ **VARIABLES**, quibus variatis alius alius- „ que prodit ejusdem status: ut adeo ens omne

„ finitum per essentiam suam sit mutationi ob-
 „ noxium. „ Verum ens infinitum concipi
 potest, quod quodam sensu mutationi sit obno-
 xium, vel modis infinite variis existat, iis, quae
 in illo concipiuntur ut fixa, nunquam mutatis.
 Id, ex quo intelligitur, quod ens sit *a se*, vel
 Aseititas procul dubio ad ea pertinet, quae ut fi-
 xa in ente concipiuntur. Cum ergo, fixis sal-
 vis vel non mutatis *praeterea* limitationes quae-
 dam variables in ente concipi possint; salva
 Aseititate ejusmodi limitationes in ente *a se* poni
 poterunt, & cum id, ex quo intelligitur, quod
 ens sit effectus alterius, vel Non-Aseititas omni-
 no e genere fixorum in illo sit, cum fieri non
 possit, ut modo sit effectus alterius, modo *a se*;
 vel necessario omnia ea, quae ejusmodi sub-
 stantiam realiter conficiunt, in se contineant
 qualitatem effectus vel non-aseitatem, cum lon-
 ge diversa forent, posita substantiae, quam con-
 ficiunt, aseititate: abunde sane ex his omnibus
 patet, remotis a substantia, quae est effectus
 alterius, modis vel limitationibus hisce, illam
 substantiam nihilominus effectum alterius mane-
 re, vel Non-aseitatem retinere, & tamen limi-
 tatam non esse. Id quod si absurdum non est,
 quid sit absurdum, nescio.

§. 52.

QUUM autem, quod modo planum fe-
 cimus, & Aseititas & Non-Aseititas omnino e ge-
 nere illorum sint, quae ut fixa in ente concipiun-
 tur: a Non-Aseititate autem finitudo non magis
 separari possit, quam infinitas ab Aseititate; ultra-

que, & infinitas & finitudo e genere illorum est, quae ut fixa in ente concipiuntur. Ens simplex ergo si ut limitatum concipitur, limitatio in FIXIS, i. e. in simplicitate est quaerenda, WOLFIIUS autem ipse Aseitatem & Simplicitatem non esse separabiles concedere necesse habet, cum in Theologia naturali T. I. §. 47. ita ratiocinetur: „ Ens a se non est ens compositum. Etenim ens a se per essentiam suam oriri ac interire nequit. Enimvero ens omne compositum oriri ac interire potest. Ens igitur a se compositum esse nequit. „ Pergit §. 49. „ Ens enim a se est ens simplex. Ens enim a se compositum esse nequit (§. 47.) adeoque nullas prorsus habet partes. Est igitur ens simplex. Addit: simplicitatem enti a se essentialem esse, hinc concludit mundum adspectabilem non esse ens a se - - esse enim ens compositum. „ Ens a se est ergo ens simplex, quia ens simplex nec oriri nec interire potest, Quod si ergo enti simplici ortus & interitus non repugnarent; nil foret causa, curens a se necessario foret simplex. Sed necessario est ens simplex; est ergo ens simplex, quia ens simplex oriri ac interire nequit. Quid autem intelligit philosophus sub ente composito? Est aggregatum simplicium. Est ergo vel aggregatum plurium entium a se, vel talium entium, quae oriri ac interire possunt. Si prius; ens a se concipi potest, quod sit compositum, aggregatum nempe plurium entium a se, & ortus & interitus talis, qualis hic supponitur vel assumitur, in variatione nempe relationum externarum plurium horum entium tantum consistens,

in ejusmodi ens *a se* optime quadrat, nec Aseitatem tollit. Contradictio hoc loco in verbis, non in rebus lateret. Sin posteriorius, vel si ejusmodi simplicia conficiunt compositum, quae oriri & interire possunt, nescio, quomodo philosophus ita ratiocinari potuerit: *Ens simplex oriri & interire potest; ejusmodi simplicium aggregatum appello compositum. Ens a se nec oriri nec interire potest. Non est ergo compositum vel aggregatum simplicium, quae oriri & interire possunt. Est ergo ens simplex, quia, quamvis ens simplex oriri & interire possit, tamen nullum medium inter simplex & compositum admitti possit.* Non est, quod excipiat, distinguendum esse inter ens simplex creatum & non creatum, finitum & infinitum. Quæritur enim hoc loco de demonstratione entis *a se* simplicitatis; inter simplicia ergo, quae sint *a se* & quae non sint *a se* nondum distingui potest. Si ergo simplicia, quorum aggregatum compositum est, non sunt *a se*, ens *a se* ea propter necessario simplex esse dici nequit, quia composito Aseitas repugnet: repugnat enim non minus simplicibus, quorum aggregatum compositum est. Quod si autem de composito quaestio est, quod non est aggregatum simplicium, sed simplici opponitur ratione qualitatis, ita ut compositum plane nil simplicitatis involuat, vel ejus partes non minus sint compositae *respectu qualitatis*, primitiva nempe illa composita, in quae composita derivativa demum resolvuntur, adeoque simplici non derivativum illud, sed primitivum compositum opponatur: quod si ita res se habet, apte concinneque ita philosophus ratioci-

natur: Compositum (*primitivum, quod nec compositorum ulteriorum, nec simplicium est aggregatum*) nullo modo concipi potest ut ens *a se*. Ens *a se* ergo non est ejusmodi compositum. Composito huic opponitur simplex, quod nec oriri nec interire nulloque modo concipi potest, ut effectus alterius. Ens *a se* est ergo ens simplex, nec quod tale sit, dubitari potest, cum ens simplex non possit concipi ut effectus alterius; aliter vero res se haberet, si concipi possit ut ens, quod oriri posset, vel ut ens non *a se*. Tunc dubitari adhuc posset, quale sit ens, quod vocamus *a se*, quamvis inter simplex & compositum medium quoddam concipere non possemus.

§. 53.

ITAQUE III. WOLFIIUS, ad variabilia vel mutabilia illa, quae praeter fixa enti inesse concipiuntur, provocans, ens quidem ejusmodi pro illa, quae ipsi placet, definitione finitum esse facili negotio evincit; ex illa autem finitudine, quod ens illud sit effectus alterius, colligi nequit; idemque philosophus, quod ens *a se* necessario sit simplex, ex compositi, quod simplici opponitur, essentia eliciens, meum illud compositum primitivum, mediamve naturam admittere necesse habet. Verum cum WOLFIIUS finitudinem re vera in quantitate qualitatum, qua major semper concipi possit, vel in gradu posuerit; operae erit pretium, in argumenta ejus ulterius inquirere.

§. 54.

QUALITATEM autem in contradistinctione ad quantitatem ita (Ontolog. §. 452.) definiit, ut sit omnis determinatio rei intrinseca, quae sine alio assumpto intelligi possit. Quantitas, cui qualitas hic opponitur, in verbis, sine alio assumpto, latet. Utitur autem exemplo sequente:
 „ Gradum caloris, inquit, qui inest lapidi sine
 „ dato aliquo coloris gradu alteri explicare non
 „ valemus (l. c. §. 748.). „ Verum calor nec est qualitas substantiae, nec qualitatis ullius substantiae quantitas. In substantias puras sane non quadrant, quae de compositis derivativis, quatenus a nobis percipiuntur, affirmamus. Nec ADHUC aliquid obstat, quominus Infinitum tanquam ens modis infinite variis existens concipiatur, ita ut ejusmodi mutationum non sit impatiens, & limitationes quasdam admittat, Infinitati, quae in pluribus diversisque subjectis vel substantiis divisim subsistit, omnino non repugnantes.

§. 55.

QUANTITATES illas qualitarum, quas in rebus materialibus observamus, e.g. gradum caloris, frigoris, celeritatis, in substantias puras non quadrare jam notavimus. Quaeritur ergo, quinam gradus in substantias cadant puras, specialius autem in simplices, & num finitudinem, qualemque involvant? Differuimus quidem jam de hac materia (§. 16.): sed cum

sit valde abstrusa, repetere omnino licet, quae
 jam dicta sunt. Quae autem dicentur, ma-
 jorem lucem sententiae nostrae affudent, ex il-
 lisque elucefcet, num ex philosophia Wolfia-
 na unicitas entis *a se* demonstrari possit. Sed
 ad rem. Fac, duas substantias ejusdem quali-
 tatis esse, & pares effectus producere valentes,
 impares tamen producere. Quae est causa im-
 paritatis effectuum? Respondeo, substantias il-
 las vel libere agere, & tollendae huic imparita-
 ti libertatem illarum solam sufficere, vel non.
 Si prius, gradus, quibus ejusmodi effectus di-
 stinguimus, in substantiis ipsis non plus substan-
 tiae, non plus ejusdem qualitatis vel virium po-
 nunt, & cum ergo in una substantia non plus
 ejusdem qualitatis vel virium ponatur quam in
 altera, effectibus quamvis imparibus positis,
 substantiae ipsae gradibus non differunt, nec
 per effectus distinguuntur (constanter), cum li-
 bere agant, & imparitati illi effectuum tollen-
 dae sola illarum sufficiat libertas. Sin posterius;
 id, quod impedit, quo minus substantiae, pares
 effectus producere valentes, pares quoque pro-
 ducant, (libertatis hic ratio non habetur) vel
 in illis est, vel extra illas. In illis non est; pa-
 res enim effectus producere valent, tantundem
 ergo causae, virium, vel ejusdem qualitatis in
 una ponitur, quantum in altera: est ergo im-
 pedimentum extra illas. Ejusmodi autem gra-
 dus accidentales, quibus positus in una substan-
 tia non plus substantiae ponitur, quam in alte-
 ra, in simplicibus si admitti possunt, ta-
 men non sunt gradus per quos simplicia di-
 stinguantur, cum nec imparitas esse-

Etuum in substantiis *libere agentibus* involvat discrimen similitum internum, quod constanter observetur, & effectus re vera non sint impares, cum in utraque eadem ponatur libertas eademve potentia, vel effectus causae liberae non ita cum effectibus alius causae liberae ejusdem qualitatis comparari possint ratione quantitatis, ut effectus causarum, quae necessario agunt, nec impedimentum externum, quod obstat conatui substantiae, in internis illius aliquid mutet, vel discrimen similitum internum inducere possit, & saltem impedimento remoto nullum amplius observetur discrimen. Gradus autem, quibus positus in una substantia plus substantiae ejusdemve qualitatis ponitur, quam in altera, in substantias simplices omnino non quadrant, cum concipi nequeat substantia simplex, in qua plus simplicitatis ponatur, quam in alia substantia simplici. Si in duabus substantiis eadem ponitur qualitas, sed plus ejusdem qualitatis in una quam in altera: qualitas illa aliter concipi nequit ac divisibile & componibile quid, quamvis vires naturales reali ejusmodi qualitatis divisioni haud sufficient. Verum quamvis admittantur in simplicibus gradus, ii nempe, quibus positus plus ejusdem qualitatis in uno non ponitur quam in altero; tamen ejusmodi gradus limitationem non involuunt, quae repugnet enti *a se*. Est enim quaestio vel de imparitate effectuum causarum liberarum, quatenus libere agunt; vel de imparitate effectuum ex impedimento externo oriente. Si prius; hoc unum sufficit, quod libertas non tollat Aseitatem, & adhuc plura entia *a se* concipi pos-

sint. Si posterius; concipi adhuc possunt plura entia a se, ab omni aeternitate coexistentia & se invicem quodammodo limitantia. Sane res ipsa loquitur, imparitatem illam effectuum, cum in una substantia non plus substantiae vel qualitatis, realitatis, virium, ponat quam in altera, substantiae contingentiam (Non - Aseitatem) non involvere. Fac, plures existere substantias, & in nulla illarum plus substantiae inesse, quam inest unicuique reliquarum. Fac, de nulla constare, quod sit effectus alterius, impares tamen illas producere effectus. Cum tantundem substantiae vel virium in una ponatur, quantum in altera ponitur: nil erit causae, cur uni alterive Aseitatem tribuas, reliquis abneges; imparitas effectuum aliam causam habere potest, ac contingentiam (Non - Aseitatem). Vel enim omnes libere agunt, & quatenus libere agunt, impares producunt effectus, tunc autem libertas illa Aseitatem non tollit; vel coexistentia illarum inducere potest limitationem aliquam, salva uniuscujusque Aseitate. Aliud est, esse *a se* simpliciter; aliud, esse solum *a se*. Quod si autem posita imparitate effectuum in una plus substantiae vel virium ponitur, quam in altera substantia; vel simul realiter diversa (*partes extra partes*) in substantiis illis ponuntur, vel non. Si prius, ejusmodi gradus, quibus positis realiter diversa in substantiis ponuntur, in simplicia non quadrant; sin posterius, nulla alia finitudo inderitur, ac illa, quae se habet ad infinitatem ut pars ad Totum. Jam vero concipi adhuc potest Infinitas successiva, composita vel ratione quantitatis talis, quae in pluribus (omnibus) substan-

METAPHYSICAE. §. 56 85
tiis divisim subsistat: necdum enim evicta est entis a se & simplicis unicitas, nec Ill. WOLFIIUS, unicum tantum existere ens simplex, concedit.

§. 56.

QUOD si ergo in simplicibus admitterentur quaedam, quae aliquo modo cum gradibus illis comparari possent, quibus qualitates eadem in rebus materialibus & naturis intelligentibus, corpori autem organico junctis, distingui-
mus; tamen similitudinem talem non involuerent, qualis est contingentia existentiae vel non-ascitas. Nec simplicia distingui possunt per ejusmodi gradus, vel effectus impares, quae vel non sunt impares, quatenus sunt effectus causae libere agentis, pares effectus producere valentis; vel quamvis considerentur ut impares, limitationis cujusdam externae & accidentalis ratione habita, tamen imparilitatem substantiarum non inducunt, quae semper sunt ejusdem qualitatis & in quarum nulla plus substantiae, virium, vel plus ejusdem qualitatis poni potest, quam in alia. Sed ne de sola voce lis esse videatur, si propter impares illos effectus simplicia aliquo tamen sensu dissimilia esse quis contendat, non tamen dissimilia erunt, nec quantum considerantur ut subjecta eorum, quae illis inexisterent dicuntur, nec quantum praecisus subjectis considerantur qualitates, quae constanter in illis observantur omni sensu eadem, ita ut in uno simplici non plus ponatur ejusdem qualitatis, quam in altero. Quaeritur autem de ejusmodi dissimilitudine, vi cujus simplicia in entia a se & non a

se, vel contingentia distingui possint; nos autem effecimus, impares illos effectus, vel gradus, qui soli adhuc (nondum enim unicitas entis simplicis est evicta) in simplicia cadunt, & propter quos solos dissimilia forte dici possunt, finitudinem talem non involuere, vel Aseitatem iis positam non tolli. WOLFIIUS elementa, quae simplicia putat, ut dissimilia sint, necessarium esse ducens, quomodo simplex a simplice differre possit, non explicat, sed rationis sufficientis principii clypeo se munit, Cosmolog. §. 195. Sed multa sane sunt, quorum rationem philosophi nondum reddiderunt. Ipse WOLFIIUS eodem loco fatetur, dubia circa hanc simplicium dissimilitudinem oriri posse, nisi accuratius in statum eorum intrinsecum inquiratur. Omne elementum ergo seriem quamdam mutationum continere (Cosmolog. §. 203.) & statum illius internum continuo mutari (l. c. §. 197.) docuit, quia, si detur in ente vis, status ejus continuo mutetur, nisi ei resistatur. At primum cum ejusmodi status mutatio ab ente ipso proficiscatur, & ens *a se* variis modis existere vel *adiuc* ut tale, cujus status internus mutari queat, concipi possit, inde finitudo talis, qualis contingentia existentiae, vel non-aseitas, elici nequit; tum vero non sequitur, posita vi statum entis internum continuo mutari. Quamvis enim concedere possim, statum entis internum toties mutari, quoties novos producit effectus, posita vi tamen non ponuntur novi effectus, alii alios continuo excipientes. Quam primum ponitur vis, ponenda est actio, ab illa inseparabilis, quam *primam* appello, & nil obstat, quominus vel per

longa temporis intervalla ens agens *in prima illa actione* mere subsistat & acquiescat, & posita vi nondum ponuntur omnia illa, quae ad producendum effectum illum requiruntur, qui illi appellatur mutatio status interni. Sed fac, statum cujusvis elementi interni eo sensu continuo mutari, quo diversorum effectuum productio mutatio status dicitur: si actiones, quae se invicem excipiunt, a sola vi, quae in ente ponitur, proficiscuntur; status elementi internus re vera non mutatur, sed continuatur; mutaretur autem, si ens ejusmodi ab alio determinaretur ad agendum, quod per se ipsum vel sponte non ageret. Notavimus jam, ejusmodi status mutationem (continuationem), quae ab ente ipso proficiscitur, contingentiam non involuere. *Ens a se*, quod continuo novos producat effectus, omnino concipi potest. A seipso soli ejusmodi mutationes non repugnant; num simplicitati, alibi videbimus. Quid autem si vis elementis inesse negetur? tunc sane sententia de continua status illorum interni mutatione corrumpitur. Corpora contemplantes quam plurimos quidem effectus observamus, qui causas suas procul dubio habent, sed quales vel quae sint illae causae, num elementa, an naturae intelligentes, vel ignoramus, vel saltem non omnes in eadem sunt sententia. Ego ens agens, quod sibi ipsi non sit manifestum, & existentiam suam plane ignorans tamen agat, comprehendere nequeo, & vix me contineo, quin dicam, ejusmodi ens ne in cogitationem quidem cadere. Posita ergo vi in elementis, ponitur in illis cogitatio.

§. 57.

ALIA ratione elementa finita esse ut probet, periculum fecit philosophus in ea, quam demonstrativam vocat, methodo versatissimus. Ponit elementa rerum esse entia infinita realia; nulla tunc mutabilia iisdem actu inessent: id, inquit, foret absurdum. Sed cur enti infinito nulla mutabilia actu inesse possunt? Quia enti finito mutabilia actu insunt; ens vero infinitum non est finitum. Notavimus jam (§. 4.) mutabilia illa modosve non nisi effectus causae esse, quae modo agat, modo non agat, & cujus effectus tamdiu durent, quamdiu duret actio. Sermo enim est de mutabilibus, quae substantiis puris actu insunt, & non de iis, quae in materia, nimis nobis adhuc incognita, observamus. Quaeritur enim, si materiam in elementa sua resolvimus, num elementis ipsis mutabilia insint, & quaenam? Posita autem tali qualitate in substantia, vi cujus modo agat, modo non agat, necessario non ponitur substantiae contingentia, vel inde non efficitur, substantiam esse effectum alterius. Convenit potius enti *a se* ejusmodi libertas; decet illud, ut variatione delectetur, & in infinitum novos semper producat effectus, & concipi possunt plura entia *a se*, quae se invicem quodammodo limitant, ita, ut salva Aseitate in substantia quacunque ejusmodi mutabilia concipi queant. Aseitati ergo ejusmodi mutabilia non repugnant; num vero forte *simplicitas* obstet, quominus in ente *a se* ejusmodi mutationes ponantur, de hoc mox pluribus differemus. Ens

igitur, cui mutabilia actu insunt, ideo non est finitum, si finitum & effectum alterius esse unum idemque est. Infinito ergo actu mutabilia inesse possunt, quia propterea non est finitum. Quod si autem philosophus neget, infinito inesse posse, quae insint finito, cum alias infinitum foret finitum, miror, illum non attendisse, ex pari ratione simplicitatem, si substantiae finitae ut attributum inesse dicatur, de substantia infinita negandam esse, vel, posita substantiae infinitae simplicitate, substantiam finitam simplicem esse non posse. Si ad haec quis regerat, infinito ideo mutabilia inesse non posse, quia finito insint vi finitudinis, vel finitudo in illis consistat; attendat velim ad id, quod plane nihil finito inesse possit, quod illi non insit vi finitudinis, vel ad finitudinem pertineat, ejusve sit effectus, adeoque simplicitatis attributum, si finito inest, vi finitudinis illi insit, vel ad finitudinem pertineat. WOLFIIUS duo entia sibi opposita, finitum alterum, alterum infinitum supponit. Per opposita ipse intelligit (l. c. §. 272.) quorum unum involvit negationem alterius, ita ut opposita vel simul esse nequeant, vel eidem enti tamen simul inesse non possint. Primo ergo loco docendum erat, finitum & infinitum, ut opposita, simul esse posse. Quid vero si non nisi *unum idemque ens* hoc loco considerandum veniret, quod *infinitum sit in toto, finitum in parte*, ita ut finitum non possit opponi infinito, ut Totum quoddam negationem alterius Totius involuens? WOLFIIUS ergo non probavit, quae probanda fuerunt. Quod si ergo finitum (*pars*) successive alios aliosque

status habet, in infinitum (*Totum*) ejusmodi statuum successiones non minus quadrant: immo qui infinitum novos semper producere effectus, statumque ergo illius continuo mutari negat, infinitatem tollere videtur.

§. 58.

LEIBNITIUS nullam monadem creatam in rerum universitate alteri monadi creatae per omnia similem existere, ita demonstrat; „*Ex-*
 „ *perimur in compositis variationes, consequenter*
 „ *in motu id, quod substituitur, non aequivalet ei,*
 „ *cui substituitur. Sed ratio sufficiens, cur status*
 „ *compositorum diversi temporis inter se sunt discer-*
 „ *nibiles, & cur in substitutione compositorum non*
 „ *omnia retinent, sicut fuerant, ante substitutio-*
 „ *nem, datur in monadibus, actu in composita in-*
 „ *redientibus, & proinde monades creatae inter se*
 „ *diversae sunt. Jam monades creatae partibus*
 „ *absolute cavent, adeoque non nisi intrinsecis de-*
 „ *terminationibus à se invicem distingui possunt, sed*
 „ *quae solis differunt determinationibus intrinsecis,*
 „ *solis qualitatibus differunt, & proinde in illis non*
 „ *omnes qualitates se eodem modo habent. At ta-*
 „ *lia non existunt per omnia similia. Ergo nulla*
 „ *monas creata in rerum universitate alteri monadi*
 „ *creatae per omnia similis existit. Princip. phi-*
 „ *los. Theorem. XIX. p 80.* „ Verum distinguendum est inter id, ex quo intelligitur, aliquid esse mutabile, & id, quo posito ponitur mutatio. Ratio sufficiens, cur aliquid mutetur, vel causa, quae efficit, ut aliquid mutetur, extra id, quod mutatur, esse potest. Sic elementa pos-

sunt mutari ab aliquo, quod est extra illa, & ita res se habeat necesse est, si existentiae suae sibi non sunt conscia. Sed de mutationibus hisce quae sentiam, ex antecedentibus abunde patet. Simplicia autem diversae qualitatis esse nequeunt. Quae in simplici ponuntur, e genere realiter diversorum, vel extra se positorum non sunt; ergo quoque separari, aut separatim poni nequeunt, sed simul ponantur necesse est. Qualitates ergo substantiae simplicis A. diversae esse nequeunt a qualitatibus simplicis B. Quae in ente simplici ponuntur, vel simplicitate posita una cum illa ponuntur, vel non. Si simplicitate posita non ponuntur, realiter differunt a simplicitate, & e genere extra se positorum sunt, nec aliter quid concipi potest, quod praeter simplicitatem insit enti simplici, ac pars simplicis realis, cum simplicitate posita non ponatur, adeoque ad simplicitatem ipsam, ut unum eorum, quae simplicitatem constituunt, non pertineat: si simplicitate posita simul ponuntur, adeoque realiter a simplicitate non differunt, simplicia quoque diversae qualitatis esse nequeunt. In quolibet enim simplici ponitur simplicitas, & quae in simplici ponuntur, una cum simplicitate ponuntur. Simplicia ergo dissimilia esse nequeunt.

§. 59.

DE UNICITATE ENTIS SIMPLICIS EJUSQUE A SE ET INFINITI.

EXSISTIT ALIQUID. ID ALIQUID

in plura ALIQUA diuidamus, vel sub forma plurium REALITATUM, quotquot a quacunque natura intelligente concipi possunt, nobis repraesentemus. Realitatum, quae substantias conficiunt ipsas (§. 1.) duo concipi possunt genera. Sunt enim vel extra se positae, vel non extra se positae. Illas *impenetrabiles* appellare liceat; has *penetrabiles*. Quae extra se positae non sunt, una re vera tantum sunt *realitas*, ita ut una earum realitatum posita ponantur reliquae omnes. Simul ergo semper necessario ponuntur. Realitatum autem simul necessario ponendarum nulla tolli potest salvis reliquis; idem enim esset, unam earum realitatum tollere, ac illas simul non ponere. Una si potest tolli, simul necessario non ponuntur. Unum idemque porro est, e multis *tollere* unum, ac unum a multis *separare*, & iterum unum idemque est, plures res a se invicem *separare*, ac illas *extra se invicem ponere*. Aliud tamen est, esse ita separatum vel divisum in Toto in se spectato, i. e. si plures res ita separatae (*extra se positae*) conficiunt Totum; aliud extra Totum separatum esse, i. e. si nexus partium, quae Totum conficiunt, soluitur. Realitates ergo sua natura extra se non positae, vel quae extra se poni nequeunt, inseparabiles quoque sunt, nec realiter possunt esse diversae. Realiter diversa omnino extra se posita sunt, vel ut substantiae, vel ut partes substantiae, vel existentis inhaerent diversis, partibusve extra se positis (§. 5.). Sed fac, realiter diversa esse, quae extra se tamen posita non sint; si extra se posita non sunt, separari quoque nullo modo possunt, & hoc

sensu saltem realiter non erunt diversa (§. 16.). Qui ergo per realiter diversa *separabilia*, non tamen extra se posita, intelligit; ponit aliquid, quod contradictionem implicat. Res omnino aliter concipi nequit. Talis enim est naturalis noster cogitandi modus. Ex realitatibus ergo e genere illarum, quae sua natura extra se posita non sunt, si vel multitudine forent infinitae, una tantum substantia componi potest. Si plures ex illis componendae forent substantiae, necessario separandae, adeoque extra se invicem ponendae forent; sed non possunt extra se invicem poni: simul semper necessario ponendae sunt; una posita, ponuntur reliquae omnes. Realitates illas, extra se invicem non positas, *penetrabiles* appellavimus. Realitates ergo penetrabiles, si vel multitudine forent infinitae, non nisi UNICAM substantiam conficiunt. Fac ergo, substantiam A constare ex ejusmodi realitatibus penetrabilibus: ex omnibus ergo constabit, quotquot sunt; reliquae ergo non erunt, quae conficere possent substantiam B vel substantiam A jam continet in se substantiam B & tot alias, quot ejusdem qualitatis forte ponere velimus.

§. 60.

SUBSTANTIA vel est composita (media natura) vel simplex. In substantia composita partes extra partes, vel realiter diversa necessario ponenda sunt. Realitates ergo, quae substantiam compositam conficiunt, extra se posita, adeoque impenetrabiles sunt. In substantia

simplici nullum eorum poni potest, quibus positis ponuntur partes extra partes. Realitates ergo, quae substantiam simplicem conficiunt, impenetrabiles esse nequeunt. Penetrabiles ergo realitates sunt illae, quae substantiam simplicem conficiunt. Substantia autem, ex realitatibus penetrabilibus constans, **UNICA** tantum esse potest (§. 59.): **UNICA** ergo tantum existit **SUBSTANTIA SIMPLEX**, vel **UNICUM** tantum **ENS SIMPLEX**. Id quod & hoc modo dilucidum facere possumus: Sit substantia simplex **A** & praeter illam sint **C D E** vel multitudine infinitae. Compone ex omnibus illis simplicibus, quae praeter substantiam **A**. sunt, unam substantiam simplicem **B**. substantia illa **B**. quamvis ex simplicibus multitudine infinitis composita sit, tamen plus simplicitatis in se continere nequit, quam **A**. alias enim desineret esse simplex. Substantia **A** ergo tantumdem simplicitatis in se continet, quantum ejusdem simplicitatis substantia **B**. in se continet, i. e. quantum quaecunque simplicia, vel multitudine infinita praeter **A**., simul sumta in se continent. Simplex **A**. ergo, si illi jungeretur simplex **B**. non *augetur* non *majus* foret, quam antea. Hinc ergo intelligitur, quomodo simplex **A**. quaecunque alia simplicia, quotquot ponis, in se jam contineat, vel quomodo uno posito simplici ponantur omnia, nec potiori jure simplex extra simplex poni possit, quam partes extra partes in simplici. Si **A** constat ex realitatibus, extra se non positis; **B** quoque: utriusque realitates se necessario penetrant, cum realitates, extra se non positae, nec extra alias ejusdem naturae, vel

aeque penetrabiles (*extra se non positae*) positae esse possint; una enim earum realitatum posita, ponuntur omnes, quotquot poni possunt. Mihi res perspicua est. Si pono ens simplex A. omnia in illo pono, quaecunque in tali ente salva simplicitate poni possunt. Si ergo praeter illud pono ens simplex B; vel tollo ab A, quae pono in B. vel eadem prorsus pono in B, quae pono in A, i. e. A. re vera bis pono, & quidem vel *totaliter*, si omnia in B. pono, quae in A. pono; vel *partialiter*, si quaedam tantum in B. pono, quae in A. posui, ab A. tamen nil separans. Ab A. nihil tollere licet; quae in illo pono, sunt inseparabilia: A. ergo *bis* ponitur, *sive totaliter*, seu *partialiter*: utroque autem casu evidens est, A. jam B. in se continere, & B. praeter ullam necessitatem poni, i. e. re vera extra A. poni non posse.

§. 61.

Ad infinitatem entis requiruntur primum Aseitas, tum vero complexus omnium illarum realitatum, quibus positae Aseitas non tollitur. Realitates, quibus positae ponuntur realiter diversa in substantiis, Aseitatem omnino tollunt (§. 15 - 18. sqq.): Infinitas ergo complexus ejus generis realitatum esse nequit. Realitatibus autem penetrabilibus positae, realiter diversa vel partes extra partes non ponuntur, ideoque Aseitas, illis positae, non tollitur: Infinitas ergo cum sit complexus omnium illarum realitatum, quibus positae Aseitas non tollitur, est complexus omnium realitatum penetrabilium. Substantia

ergo quae constat ex realitatibus penetrabilibus, est infinita. Substantia, constans ex realitatibus penetrabilibus unica tantum esse potest (§. 59.): Substantia infinita ergo tantum unica est. Substantia quae ex realitatibus penetrabilibus constat, est simplex necessario (§. 60.). Substantia infinita constat ex realitatibus penetrabilibus: Substantia infinita est ergo simplex, & substantia simplex est infinita, vel utraque substantia non nisi una substantia est, & unica, vel sui similem non habet (§. cit.).

§. 62.

CONCIPI ergo nequit infinitas vere talis, quae in pluribus subjectis vel substantiis divisim subsistat, si illae substantiae non simplices vel compositae (entia neutra) sint. Nulla enim substantia non-simplex a se esse potest (§. 61.). Si sint simplices; concipi quidem sub hac conditione vel hypothese infinitas potest, divisim in pluribus simplicibus subsistens; sed cum unica tantum existat substantia simplex (§. 60.): per se clarum est, entis simplicis unicitate evicta, ejusmodi Infinitatem amplius concipi non posse.

§. 63.

DE OMNITUDINE.

INFINITUM sub forma *Omnitudinis* nobis repraesentamus, ita ut infinitum concipere nequeamus, cui aliquid desit, vel in quo non sint omnia, quod non occupet & teneat omnia. Verum

in quarto
M E T A P H Y S I C A E. §. 64. 97
rum cum realitates, quae conficiunt ens a se & infinitum, e numero illarum esse nequeant, quae sunt effectus adeoque finitae: ens a se & infinitum omnino omnes habet realitates, si nulla earum deest, quibus positis Aseitas non tollitur, vel nulla earum, quae in ente a se poni possunt. Praeter illas realitates, nullae plane sunt & concipi possunt realitates, nisi illae, quae substantias conficiunt finitas, quarum nempe causa efficiens est unica illa substantia a se. Distinguendi ergo sunt effectus Infinitudinis ab Infinitudine ipsa, si ens infinitum omnes omnino realitates habere dicitur. Sed quocumque sensu omnitudinem accipias, *posita infinitate cum effectibus suis, omnitudinem poni quis dubitabit?*

§. 64.

DE ASEITATIS VEL INFINITATIS EFFECTIBUS.

REALITATES, quae ens a se vel infinitum conficiunt, ejus sunt qualitatis, ut una illarum posita ponantur reliquae omnes, vel sunt penetrabiles (§. 61.). Realitates, quae ens modo dictum conficiunt, simul ergo necessario ponendae sunt, vel ens infinitum simul est, quod est, vel si mavis, quod esse potest. Existentiam ergo habet *simultaneam*; ens finitum vero *successivam*. Non ignoro quidem, *successiva* appellari, quorum uno exsistere desinente alterum exsistere incipit, vel quibus pereuntibus alia succedunt; *simultanea* autem coëxistentia (WOLF. *Ontolog.* §. 569.): ast memor, finitum definiri per id,

quod *successive* est, quod esse potest, simul autem persuasissimum habens, in quacunque substantia finita necessario esse realiter diversa vel extra se posita: substantiam finitam hoc sensu *successive* exsistere dico. Quae praeter hos e limites in ipsa substantia adhuc in substantiis finitis observantur *successiva* e genere illorum, quorum alterum exsistit, dum alterum perit, vel perire videtur, non nisi effectus finitudinis sunt, cum finitudine ipsa, causa illorum, non confundendi. Ejusmodi *successiva* enti infinito inexistere non posse res ipsa loquitur. Ens infinitum ergo quoque ratione eorum, quae illi inexistunt, simul est, quod est. Realitates, ens infinitum conficientes, sunt penetrabiles. Quae inexistere possunt ejusmodi realitatibus, se quoque penetrant, ita ut uno posito ponantur reliqua omnia. Sublato ergo uno tolluntur reliqua. Succedere ergo sibi nequeunt ita, ut alterum exsistere incipiat, dum alterum perit. Perfectio cum omnibus suis gradibus vel quaerenda est in realitatibus, quae ens conficiunt ipsum, vel in iis, quae inexistunt. Si prius; ens infinitum summam habet perfectionem, cum habeat summam realitatem; sin posterius, non minus summa est ejus perfectio, cum omnia simul illi inexistant, quae illi inexistere possunt. Perfectio ergo entis infiniti cum non sit *successiva*, crescere vel augeri nequit. Itaque & hoc sensu ens infinitum simul est, quod est. Ex hisce omnibus autem abunde patet, non sufficere, quod ens infinitum opponatur finito, ejus data definitione arbitraria, & tunc definiatur, *quod sit simul, quod esse potest*; sed doceri debere, *quo sensu sit simul,*

quod est. Non sufficit exclusio successio-
 rum, relative concepta, sed ex ipsa substantia in-
 finita, quod sit impatiens ejusmodi successio-
 rum, deducendum est. Ex qualitate realitatum, quae
 illam conficiunt, penetrabilium, derivavi omnia,
 quae de existentia illius simultanea a me dicta
 sunt, i. e. ex simplicitate infinitatem derivavi.
 Concipi possunt, quae in ente sibi succedant, qui-
 bus positis Aseitas non tollatur, si simplicitatis
 ratio habetur nulla. Evicimus autem, iis posi-
 tis simplicitatem tolli, illa vero sublata tolli Asei-
 tatem. Simplicitatis ratione non habita, ens a se
 & infinitum tale concipio, quod novos semper &
 in infinitum producere possit effectus, sibi ergo
 necessario succedentes, & limitari videtur ens in-
 finitum, si in infinitum novos semper producere
 posse effectus negatur; WOLFUS sane, & qui
 in ejus sunt sententia, frustra probare conantur,
 infinitatem tales excludere successiones, quae fi-
 nitudinem non involuunt, & non sunt confun-
 dendae cum successiva existentia illa, quam enti
 tribuimus, quod existere incipit, existentiam
 continuat, crescit, augetur. Cum autem ens
 infinitum, quod hic, quale in se spectatum est,
 considerare audemus, incomprehensibile sit; nec
 simplicitas ejus obstabit, quo minus analogam suc-
 cessionum admittamus, illud in relatione vel
 comparatione ad mundum contemplantes (§. seq.)

§. 65.

EFFECTUS infinitatis vel inexsistunt enti
 infinito, vel non. Illos appellemus *internos*; hos
externos. Effectus, qui inexsistunt, sunt pene-

trabiles, simul ergo inexsistunt, ita ut re vera unus tantum effectus internus inexsistat enti infinito, qui positis realitatibus illud conficientibus, quibus inhaeret vel inexsistit, simul ponitur (§. 64.). Effectus externi sunt substantiae finitae, quae enti infinito inexsistere dici nequeunt. Effectus interni ponuntur, posita substantia, cui inexsistunt. Externi concipi nequeunt sine actione vel operatione quadam, substantiae illi inexsistente (extra illam non posita) adeoque ad interna substantiae pertinente, quam sequantur vel cujus sint sequelae. Quae substantiae infinitae inexsistunt, simul illi inexsistere modo demonstravimus, & effectus appellavimus internos. Effectus ergo externi sunt sequelae effectuum internorum substantiae infinitae, quibus positissimul ponuntur. Nec est, quod impediatur, quominus substantia infinita illos effectus simul producat, & sane absque absurditate substantia illa infinita opportunum expectare tempus, illos effectus (*successive*) producendi dici nequit. Verum ens infinitum, re ita se habente, novos semper producere effectus, alios aliosque ergo successive status habere non poterit, nullaque varietate delectabitur. Salva res est. Posita enim serie infinita effectuum infinite variorum, quamvis simul existentium, idem re vera ponitur, quod ponitur, si ens infinitum novos semper & in infinitum producere effectus, hocque sensu alios aliosque successive habere status & varietate infinita delectari dicitur vel concipitur. Series enim illa infinita effectuum infinite variorum continet in se omnes illos effectus, de quibus loquimur, dicentes, ens infinitum novos semper produce-



re effectus in infinitum, & in utroque casu excluditur potentia limitata vel exhausta, & ponitur infinita varietas, qua volumus ut delectetur ens infinitum. De substantiis autem tantum hic sermonem facimus, quae omnes omnino simul productae sunt, non successive, nec novae substantiae, quae nondum existunt, unquam existant. Si autem ens infinitum & seriem illam substantiarum finitarum, quam mundum appellamus, simul nobis repraesentamus, vel tanquam duo entia coëxistentia, quorum alterum (mundus) ex altero tanquam e firmamento suo pendeat; ens infinitum induit quasi naturam entis finiti, quatenus per substantias finitas & cogitare & agere dici potest. Ex quo intelligitur, quomodo quae proprie in ens infinitum in se, vel tanquam solum existens, spectatum, non cadunt, de illo tamen affirmari possint. Si ens infinitum, quatenus coëxistit entibus finitis adeoque successivis, vel tanquam illis coëxistens consideratur, & si ea propter ipsum non est ens successivum, eodem modo quo hortulanus, floribus e terra successive nascentibus coëxistens ipse e terra successive nasci dici non potest: quid obstat, quominus ens infinitum, salva ejus natura, quae efficit, ut simul sit quod sit, dum coëxistit rebus successivis, quovis sensu talibus, successive alias aliasque habeat repraesentationes, non tamen nostris similes, quae & alio sensu successivae dicuntur, non solum quatenus sibi succedunt, sed etiam & potissimum earum qualitatis vel naturae ratione habita, quia ex singula cogitatione finita intelligi potest, ens cogitans esse finitum, quamvis ad successionem cogitationum

in illo non attendamus. Si porro, substantiarum necessario simul productarum ratione nulla habita, effectus tales possibiles sunt, quos substantiae finitae vel plane non vel sub conditione producere nequeunt, qui autem a substantia infinita per illas tanquam per causas vel materiales vel instrumentales produci possunt: quid obstat, quominus ens infinitum, quatenus rebus successivis coëxistit, successive quoque ejusmodi effectus per substantias finitas tanquam per causas materiales & instrumentales, salva tamen natura sua, vi cujus est simul quod est, producat? Non nego tamen, si ad id attendimus, quomodo res secundum nostrum concipiendi modum se habeat, infinitum hic quasi finiti naturam induere. Ut ergo probe distinguantur, quae distinguenda sunt, ens infinitum tam quale est in se spectatum, vel si solum existeret, quam quale est in relatione ad mundum, considerandum est.

§. 66.

VERUM alia oritur quaestio. Causa infinita non nisi infinitos producere potest effectus, & tamen substantiae, quas extra se producit, sunt finitae. Per effectus infinitos si intelligimus idem, quod per effectus infinitatis, oppositio locum non habet. Qualiscunque enim sit effectus, dummodo sit effectus substantiae infinitae, infinitus erit dicendus. Si effectus infinitus opponitur finito, ita se res habet, ut infinitus sit dicendus effectus omnis, qui potest produci a substantia infinita, finitus vero, qui non potest produci nisi a substantia finita, cujus ergo sub-

stantia finita vera est causa, non infinita. Sed quaeritur hoc loco num substantia infinita possit producere effectum, in quo plus realitatis adhuc concipi possit, quam actu ponatur, an vero talis tantum in causam infinitam cadat effectus, quo major concipi, in quo igitur plus ejusdem realitatis poni nequeat, quam actu ponitur? Si quaeritur, qualis effectus sit conformis essentiae infiniti, vel infinitati, vel ex infinitate sequatur: res ipsa loquitur, effectum in causam infinitam non cadere, in quo plus realitatis adhuc poni possit, quam actu ponatur; quemlibet ergo effectum causae infinitae esse hoc sensu infinitum. Nec experientia nobis obloquitur. Omnes enim substantiae finitae colligendae vel simul sumendae sunt, & collectae vel simul sumtae sistunt effectum infinitum, de quo sermo est. Hinc facile est intellectu, quomodo ejusmodi substantiae finitae, si singulae considerantur, salva infinitate effectus causae infinitae, aliae plus minusve realitatis in se habere possint, quam aliae, adeoque comparatio earum duci possit. Absit tamen hoc loco omnis comparatio cum materia, quatenus a nobis percipitur. Ejusmodi substantiae considerari non debent, quantae sint, sed quales, earumque compositiones internae aliae aliis excellentiores concipi possunt ac debent. Ex quibus omnibus denuo adparet, & externos effectus omnes substantiae infinitae simul productos esse, vel causa infinita posita, quotquot poni possunt effectus, simul poni, cum omnes collecti vel simul summi tandem effectum illum sistant infinitum, qui solus in causam cadit infinitam.

§. 67.

DE AETERNITATE.

TEMPORIS notio abstrahitur a successivis, quae dicuntur illa, quorum alia existunt, aliis nondum existentibus, vel existere incipiunt, aliis pereuntibus. Ens *a se & simplex* existere nec incipit, nec desinit, & *simul est*, quod est, nec sibi succedunt, quae illi inexistunt (§. 64. sqq.). Non est ergo in ente *a se & simplici*, infinitoque, ullum tempus nec ens illud in tempore esse dici potest, nec quae temporis ratione habita de alijs entibus affirmantur, in illud quadrant. Non concipi ergo potest tempus praesens, quo producat aliquid, praeteritum, quo produxerit, futurum, quo producturum sit. Naturae autem intelligentes finitae, quae in tempore existunt, ens infinitum ita sibi praesentant, ut praeter effectus, quos produxit, alios novosque in infinitum producere, futuraque praescire possit, & quae sunt reliqua. Sed nos jam planum fecimus (§. 65.), posita serie infinita effectuum infinite variorum, simul autem existentium vel simul productorum, re vera idem poni, quod ponitur, si ens infinitum novos semper & in infinitum producere effectus, hocque sensu alios atque alios successive habere status & varietate infinita delectari dicatur. Ponitur enim id idem, quo ut careat ens infinitum nolumus. Ponuntur novi illi effectus, quos in infinitum producere posse dicitur. Ponuntur status entis infiniti, salva infinitate, varii. Ponitur enim cum eo ipso, quod simul (*non successive*) ponitur, infinita va-

rietas. Tempori opponitur Aeternitas. Est ergo Aeternitas *simultanea* entis infiniti *existentia ipsa* & eorum, quae illi inexistere (*posse*) dicuntur, *simultanea inexistencia*, qua posita ponitur simul effectuum externorum *simultanea productio* (§. 64. sqq.). Ens ergo infinitum aeternum dicitur, si consideratur ut ens, quod simul est, quod est, quae autem existentia *simultanea involuit necessario Aseitatem* (§. 61.). Quomodo res se habeat, si secundum nostrum concipiendi modum ens infinitum consideratur, quatenus coëxistit rebus successivis, de eo jam nostram diximus sententiam (§. 65.). Entia successiva; vel substantiae, in quibus observantur realiter diversa, hoc sensu ergo aeternae non sunt, cum habeant *ortum internum*, vel principium & extremum in se. Cum autem posita substantia infinita simul ponantur, ut sequelae necessariae infinitatis, *ortu carent externo*, hoc est, concipi nequit tempus, quo non exstiterint. Hoc sensu (*ergo non univoce*) sunt aeternae. Quaeritur autem, num semper exstiturae, an aliquando periturae sint?

§. 68.

DE ANNIHILATIONE.

SUBSTANTIAE finitae (non simplices) per divisionem interire nequeunt: sunt enim, quamvis habeant partes, indivisibiles (§. 39 - 41.). Interitus per divisionem appellatur corruptio (physica). Corruptioni opponitur annihilatio vel in nihilum coactio, quae adeo, cum non sit

interitus per divisionem, est interitus simultaneus (instantaneus) vel simultanea (instantanea) mutatio existentiae in non-existentiam vel meram possibilitatem. Substantiae finitae sunt sequelae necessariae infinitatis, ita ut infinitate posita necessario & simul ponantur (§ 67.): nunquam ergo mere possibiles fuerunt, vel concipi non potest tempus, quo non existerint, vel aliquando non existitisse dici nequeunt (§. cit.): non potest ergo concipi mera possibilitas, existentiae opposita, in quam mutari possit existentia illarum, vel, cum sint sequelae necessariae infinitatis, existentia illarum tolli nequit, nisi sublata infinitate, cujus sunt sequelae. Annihilari ergo nequeunt, nulloque prorsus modo interire possunt. Sed & alia mihi suppetunt argumenta. Quod existit (*de substantiis loquor & quidem de substantiis puris*), per se ipsum desinere nequit existere: tunc enim simul & esse & non esse posset. Continuat ergo, sibi ipsi relicto, existentiam suam in infinitum. Si ergo nihilominus existere desineret, ejus non-existentia necessario foret effectus alicujus causae. Sed omnis effectus necessario est aliquid, nec aliter concipi potest. In hoc autem casu effectus concipiendus foret, qui non ALIQUID, sed NIHILUM esset. Hoc NIHILUM esset ergo PRODUCTUM, & a quocunque alio nihilo probe distinguendum. Res annihilanda praeterea in eodem temporis puncto & existeret & non existeret. Annihilatio enim rei, quae existit in tempore, necessario in aliquo temporis puncto fieri debet. Jam vero vel in illo temporis puncto fit, in quo res annihilanda

dhuc existit; vel in quo non amplius existit, i. e. in quovis temporis puncto, quod annihilationi destinatur, res annihilanda vel existet vel non. Si existit in illo temporis puncto; existit simul & simul non. Si non existit; annihilari nequit; nihilum enim non annihilatur. Si annihilare est non-creare, & non-creatio rerum creatarum, adeoque jam existentium est impossibilis, annihilatio quoque est impossibilis. Idem sane est annihilare ac factum infectum facere. Ita mihi hoc, re penitus perspecta, videtur. Sed posita ejusmodi existentia necessaria substantiarum finitarum & libertas entis infiniti, & contingentia mundi tolli videntur.

§. 69.

DE LIBERTATE ENTIS
INFINITI.

FACULTAS, uno eodemque tempore & positis circumstantiis iisdem aliquid tam agendi, quam non agendi & diversa quoque agendi, est illa libertas, quam in nobis experimur. Quae agimus, vel ad animam spectant, cum varia nobis repraesentamus, modo hoc, modo illud; vel ad corpus. Modus ergo noster cogitandi (finitus), & imperium animae in corpus constituunt tanquam duae partes essentielles Totum libertatis nostrae. Modus noster cogitandi est finitus; quae enim cogitamus vel nobis repraesentamus, successive cogitamus, qui modus cogitandi plane non cadit in ens, quod simul est, quod est (§. 64. sqq.). Imperium nostrum in

corpus admodum limitatum est, & ut uno verbo dicam, quae dicenda sunt, omnes effectus substantiarum finitarum (*ergo quoque actiones liberae*) sunt finiti, nec cadunt in substantiam infinitam (§. 66.). Ejusmodi libertas ergo, qualem in nobis experimur, cum supponat finitudinem & re vera non sit nisi limitatio entis illa gaudentis, in ens infinitum non quadrat. Est autem alio sensu liberrimum. Est enim *a se & unicum*, quod est *a se*: ergo necessario independens. Quod agit, non agit coactu alterius; a nullo alio ente ad agendum determinatur. Quod est sequela necessaria ejus infinitatis, est quoque sequela necessaria ejus Aseitatis & ergo etiam ejus independentiae. Jam vero si talis libertas in ente infinito non ponitur, qualis involueret finitudinem; infinitas hujus entis inde nil detrimenti capit. Posita autem independentia, ponitur illa libertas, quae decet ens infinitum. Est sane ens liberrimum, cum quarumcunque substantiarum liberarum sit causa, & illas facultatibus viribusque donaverit, sine quibus effectus producere non possent, quos producant.

§. 70.

DE CONTINGENTIA EFFECTUUM ENTIS INFINITI EXTERNORUM (*vel mundi*).

Ex contingentia effectuum entis infiniti externorum vel mundi si demonstrari debet entis *a se & infiniti*, cujus mundus est effectus,

existentia, per contingentiam cujusvis rei vel
 substantiae, quae entis *a se* effectus dicitur, nil
 aliud intelligi potest, quam ejus Non - Aseitas,
 vel id idem, ex quo intelligitur, substantiam
 esse effectum. Id ipsam vero, ex quo intelli-
 gitur, quod substantia sit effectus alterius, est
 limitatio ejus essentialis vel substantialis, quae
 involvit realiter diversa in ipsa substantia, vel
 qua posita ponuntur partes extra se positae (§.
 48.). Jam vero cum omnes substantiae finitae
 sint non simplices; contingentia illarum non tol-
 litur, posita quamvis illarum Non - existentiae
 impossibilitate: haec enim impossibilitas com-
 positionem internam, vel ortum internum
 (Non - simplicitatem) non tollit. Si autem
 contingens dicitur id, cujus non - existentia
 est possibilis; cum quaecunque existunt, posi-
 ta substantia infinita, simul ponantur, vel infi-
 nitatis sequelae sint necessariae: nego omnino,
 substantiam ullam hoc sensu esse contingentem.
 Quod si autem impossibilitas non - existentiae
 conceditur, substantia autem alia esse posse, ac
 est, & hoc sensu contingens dicatur: primum,
 substantia, quae semper existit, alia esse posse
 ac est & semper fuit, praeteriti temporis &
 praesentis ratione habita, quomodo dici queat,
 non video, cum, si substantia concipiatur,
 quae alia esse possit, ac est, vel ad varios exsi-
 stendi modos se indifferenter habeat, de tali ne-
 cessario sermo sit, quae nondum existit, vel
 aliquando non existit, adeoque hoc illove modo
 existere potuisset; futuri autem temporis ratio-
 ne habita, eadem substantia, quae jam existit,
 nunquam existere desinit, vel nec corrumpi

(physice) nec annihilari potest (§. 68.); tum autem, si substantiam nobis repraesentamus, quatenus alia esse possit, ac est, re vera duas ponimus & inter se conferimus substantias, quae posita infinita varietate effectuum entis infiniti re vera quoque existunt. Jam vero si substantia, cujus oppositum possibile est vel existit, propterea contingens dicenda sit (quo sensu ens infinitum, cujus oppositum existit, non minus contingens erit): ejusmodi contingentia salva est, posita quamvis substantiae utriusque existentiae necessitate: haec enim necessitas existentiae unius substantiae non excludit alterius vel oppositae substantiae existentiam vel possibilitatem. Si autem contingentia in nexu, quo substantiae continentur, quaerenda foret, ergoque nexus ille alius esse posse ac est dicatur: ejusmodi contingentia posita, substantiarum existentiae necessitas vel non-existentiae impossibilitas non excluditur. Vel enim illa nexus contingentia posita, excluditur substantiarum Aseitas, vel non. Si posterius; existentiae illarum necessitatem non excludi res ipsa loquitur; sin prius, demonstravimus supra, ejusmodi existentiae necessitatem, quae nil est nisi sequela necessaria infinitatis entis a se, non involuere Aseitatem, & de effectibus loquimur, quorum existentia sit necessaria. Sed quid, si ita se res habeat, ut nexus, qui alius esse posse dicitur, nunc quidem alius esse nequeat ac est, sed alius esse potuisset, substantiis, quas respicit, nondum existentibus: tunc inquam, nego omnino illam nexus contingentiam, negans, substantias aliquando non fuisse (cf. §. seq.). Si con-

tingentia quaeritur in iis, quae substantiis successione inexistunt; salva hac contingentia substantiarum existentia necessaria esse potest, cum necessitas existentiae ab Aseitate a nobis, ipsa rerum id postulante natura, distinguatur. Quod si igitur contingens (de substantiis hic loquimur) definitur per id, cujus non-existentia est possibilis, i. e. quod aliquando non existit: definitum in rerum universitate non reperitur, vel non est existens quid, quod respondeat huic notioni. Si vero contingens definire licet, quod sit id, cujus existentia poni nequit, nisi posita alterius entis existentia, vel quod solum existere nequit; omnes substantiae finitae omnino contingentes sunt, cum, posita substantia infinita, demum ponantur. Id autem, quo posito demum ponitur alterius existentia, prius existere concipitur, velut corpus prius dicitur umbra, quamvis corpus & umbra simul existant. Substantia infinita autem sola existere potest & existit, quamvis illa posita ponantur quoque effectus ejus: non enim, positis effectibus, demum ponitur causa, sed, illa posita, effectus demum ponuntur, & alia, praeter illam, non existit substantia infinita. Ens ergo (independenter) necessarium definiri potest, quod sit ens, quod solum existere, vel tanquam solum existens concipi possit. De substantiis hic loquimur. Aliter enim necessarium & contingens est definiendum, si per *hoc* intelligitur effectus causae liberae vel libere agentis; per *illud*, quod opponitur libertati. Ego vero, quae de contingentia mundi, ex qua entis infiniti existentiam demonstrare

putant nostrates, adhuc habeo, quae dicam. Planum feci, aeternam mundi existentiam non rollere ejus contingentiam; quo sensu, explicui. Id autem nunc curo, ut intelligatur, ex contingentia mundi, i. e. ex possibilitate ejus non-existentiae, ejus ortum fortuitum potius, quam entis infiniti extramundani existentiam recte colligi. Si mundi non-existentia possibilis dicitur, hoc ita est accipiendum, possibile esse, mundum nunquam extitisse nec unquam extitutum fuisse. Talis mundus si existit, vel existentiae suae rationem sufficientem habet, vel non. Si posterius; casu existit: sin prius, & non-existentia ejus tamen est possibilis: possibile quoque est, causa posita, i. e. positis omnibus, quae ad constituendam existentiam effectus requiruntur, effectum non sequi. Si possibile est, causa quamvis posita effectum tamen non sequi; possibile quoque est, effectum sequi, causa quamvis non posita, vel non magis possibile est, effectum, causa posita, non sequi, quam aliquid oriri sine causa. Utrumque vel aequè possibile, vel aequè impossibile est. Nil ergo obstat, quominus mundus casu extiterit. Quod si ergo mundus aliquando non extitit, antequam autem extitit, ejus non-existentia aequè possibilis fuit, ac ejus existentia, ejus existentia ergo incerta fuit: nil obstat, quo minus inde ejus ortum fortuitum colligamus: non, quod ejusmodi res, quae ante, quam existunt, tam existere quam non existere possunt, causam vere talem vel illarum existentiae vel non-existentiae habere non possint, cum contra nil obstat, quo minus habeant: sed quia nil nos cogit,

git, ut ad talem causam recurramus, siquidem posita tali causa existentia ejusmodi rerum nihilominus incerta est, adeoque concipi possit, quomodo & sine tali causa aliquid tam existere quam non existere possit. Aliud est, si de causa jam constat; quod autem si non est, non video, quomodo effectus talis causae ab effectu casus puri distingui queant. Potest ergo mundus libere creatus esse ab ejusmodi causa; ejus vero non-existentiae possibilitas nos non cogit, ut talis causae auxilium accersamus, sed potius nobis permittit, ut ejus existentiam tam casui puro quam ejusmodi causae tribuamus; potius vero casui puro. Etenim si quando mundus non existit, rationem sufficientem existentiae suae non habet in ente infinito extramundano; si enim in tali ente rationem illam sufficientem haberet, cum illo ente necessario ab omni aeternitate simul ratio quoque sufficiens existentiae mundi ponenda esset, qua autem ab omni aeternitate posita, mundus quoque ab omni aeternitate necessario existeret. Sed aliquando non fuit: Ergo &c. Immo mundus, si ejus non-existentia aequae possibilis est, simul existet & non existet. Possibilitas enim utriusque supponit rationem sufficientem utriusque, qua posita & existentia & non-existentia necessario ponitur. Si provocas ad libertatem causae vel ad causam libere agentem, tollis rationem sufficientem: me enim analogon tuum modorum non moratur, quod est merum figmentum. Ejusmodi autem causa infinita, aeterna, libera vel liberrima (in hoc sensu) non magis possibilis est, quam ortus mundi fortui-

tus. Utrumque vel aequè possibile, vel aequè impossibile est. Verum ad haec omnia forte refert, quotidie nos observare, quae oriuntur & intereant; mundum ergo omnino esse contingentem: Ergo: &c. Ego vero in tua non sum sententia. Quocumque nos vertimus, nil nisi duplex, compositum vel pluralitatem rerum videmus. Res ipsae nos latent. Nunquam ullius substantiae nec ortum nec interitum vidi, nec tu vidiisti. Si ergo quae mutantur, oriuntur, intereunt, non sunt substantiae, sed per substantias subsistunt, vel illarum sunt effectus: substantiae ipsae propterea non sunt mutabiles vel contingentes, id quod vel in sensu cadit nostris, cum terra, e qua flores nascuntur, qui iterum intereunt, nec oriatur nec intereat. Immo Deus ipse foret contingens, vel quia produxit res contingentes, vel quia quae oriuntur & intereunt, uno verbo omnia ultimo per illum solum subsistere dicenda sunt. Verum immoremur adhuc huic argumento, Displicet mihi dilemma; quicquid existit, rationem existentiae suae vel in se habet, vel in alio; mundus in se habere nequit &c. Ergo &c. Primum enim quod est *a se*, existentiae suae rationem habet prorsus nullam, cum nihil illo prius esse possit. Summa realitas vel perfectio, quam fingis, non magis causa dici potest existentiae entis perfectissimi, quam nihilum. Nulla prorsus realitas concipi potest, quae non sit existentia vel existens quid; sed existentia dici non potest causa suae existentiae, Existentia prior se ipsa & nihilum in aliquid se mutans non differunt. Utrumque aequè comprehen-

sibile vel incomprehensibile est. Qui ergo hanc nectit quaestionem, num quod existit in se, an in alio existentiae suae rationem habeat, Dei existentiam demonstraturus, illam jam supponit. Quicquid ergo existit, recte existere dicitur, *quia existit*. Qui existens quid existentiae suae rationem in alio habere dicit, id probare necesse habet, sed non ita, ut fingat ens quoddam possibile *a se*, quod, quia se ipsum generarit, sibi quoque summam dederit perfectionem, illudque comparet cum illo ente quod existit, cujusque Aseitatem negat. Quod autem si probat, absque petitione principii tamen, quaeritur, num ens illud, in quo ens, de quo sermo est, existentiae suae rationem habere dicitur, iterum in alio existentiae suae rationem habeat, hoc aliud iterum in alio & sic in infinitum? Negant illud, qui ex contingentia mundi Dei existentiam demonstrant; necesse ergo esse existimant, ut subsistamus tandem, ens infinitum, primum, vel causam primam ponentes. Verum naturalis noster cogitandi vel concipiendi modus nobis non permittit, ut subsistamus (§. 51.), ubi de infinito sermo est, & quod subsistentes ponimus, aequè incomprehensibile est, ac progressus in infinitum. Vel enim ponimus, ubi subsistimus, aliquid, quod sine causa existit, vel quod est causa sui ipsius, ergoque, quod ad progressum in infinitum attinet, re vera nil ponimus, nisi existere aliquid vel sine causa, vel quod sit causa sui ipsius. Qui impossibilem dicunt progressum in infinitum, ultimum ponunt effectum, qui vel sit causa sui ipsius, vel habeat causam extra se positam. Sed progressu in infinitum posito, ul-

timus effectus poni, adeoque, num sit causa sui ipsius, vel habeat causam extra se positam, quae tamen non iterum alterius sit effectus, quaeri nequit. Sed & alia suppetunt argumenta. Posito progressu in infinitum, vel positis substantiis multitudine infinitis, quarum una semper sit effectus alterius, non ponitur, existere nihil a se, sed Aseitas potius simul cum progressu hoc ponitur. Illae enim substantiae, quia multitudine sunt infinitae, si simul sumuntur vel tanquam una substantia considerantur, substantia illa una non est effectus alterius; ergo *a se*. Omnes illae substantiae, multitudine infinitae, simul sumtae constituunt ens a se & primam illam substantiam, quam ponimus, ubi subsistimus. Itaque qui substantias finitas alias in aliis finitis existentiae suae rationem habere posse sibi persuadent, progressum in infinitum admittere necesse habent, cum sine ratione sufficiente subsistant, ubi ad ulterius progrediendum ipse naturalis noster cogitandi modus nos invitat, primam ibi ponentes substantiam, ubi subsistunt. Ego vero progressum in infinitum non admitto, quia persuasissimum habeo, nullam substantiam finitam causam esse posse alterius, & nullum spiritum finitum alium producere posse, & quae sunt reliqua. Ponamus substantias finitas A & B. B. non erit effectus $\tau\epsilon$ A propter eandem rationem, propter quam A est alterus effectus, vel si mayis, aequae contingens ac B.

DE MUNDO (OPTIMO).

QUICQUID existit praeter substantiam infinitam, effectum ejus esse, unicitate illius substantiae evicta, per se clarum est. Verum quaeritur, num effectus substantiae infinitae externi, qui hoc loco soli considerandi veniunt, nexu aliquo inter se contineantur & quali? Nos jam evicimus (§. 66.), in causam infinitam non cadere effectum, nisi quo major concipi nequeat, & omnes substantias finitas, quotquot existere possunt, ergoque necessario existunt, effectum hunc, quo major concipi nequit, vel infinitum simul sumtas sistere. Spirituum hic potissimum ratio habenda est; substantiae enim sibi non manifestae propter spiritus existunt, quae illas sibi repraesentant, vel per quos existentia illarum manifestatur. In intellectu infinito unus tantum spiritus existit, tanquam Totum in partes divisibile, & extra intellectum infinitum realiter quoque in tot partes divisus, quot spiritus particulares, qui simul sumti spiritum universalem, quem ens infinitum sibi repraesentat, conficiunt, re vera existunt. Quotquot ergo existunt individua spiritalia, vel spiritus finiti omnes & singuli integram possibilitatem vel essentiam spiritus *totalis* vel *universalis* complent, sibi quoque ergo necessario ita subordinati sunt, ut ad se invicem se habeant ut compartes unius ejusdemque Totus. Intellectus ergo finitus, quo major concipi potest, haud aliter considerandus est, ac pars intellectus finiti maximi. Sub-

stantiae sibi non manifestae (*corporeae, materiales*) propter spiritus illos, prout jam diximus, existunt, cum illisque hoc sensu unum Totum conficiunt. TOTUM hoc appellamus VNIVERSUM, nec non MUNDUM. Cum ergo unicus tantum spiritus finitus maximus vel quo major concipi nequit, concipi possit, in pluribus substantiis divisim existens, unicus quoque tantum Mundus concipi potest, nisi plures Mundos sibi perfecte similesingas. Verum ubi Mundus adhuc concipi potest, quamvis illi, qui existit, perfecte similis, ibi Vacuum Creationis ponitur, quod si aliter compleri nequit ac per Mundum illi secundum qualitatem saltem unico perfecte similem, limites omnipotentiae ponuntur, quae ibi, ubi Mundus adhuc concipitur, non potuit Mundum producere diversum ab illo, qui existit, sed praecise eundem. Quum ergo Mundus illi, qui existit, dissimilis concipi nequeat; remotis ab omnipotentia limitibus quibuscunque, nec Mundus illi perfecte similis concipi potest. Verum, interloquuntur dissentientes, varii rerum nexus concipi possunt; plures ergo mundi possibiles. Distinguendum est inter nexum necessarium & contingentem. Necessarius est nexus ille, qui est sequela necessaria essentiae substantiarum, quae mundum conficiunt, communis. Illic nexus non variat, immutabilis est, nec alius nexus, ab illo diversus, possibilis est. Nexus vero contingens ad illos spectat effectus, qui variant, & in quorum locum semper alii substitui possunt, quia causae illorum sunt liberae. Quum autem effectus illi, & sic quoque inde orientes nexus rerum, si vel infinite varii con-

cipiantur, necessario in eodem Mundo sint ponendi & quaerendi, in quo ponuntur causae illorum: per se clarum est, mundum semper eundem manere, quamvis in locum illorum effectuum vel eventuum, quorum causae sunt liberae, alii effectus eventusve substituerentur. Nexus rerum, qui est sequela necessaria essentiae substantiarum communis, semper idem est, & mundus non mutatur in alium, nisi hoc nexu mutato, qui vero est immutabilis. Absque absurditate sane dici non potest, mundum non amplius fore eundem, si haec, quae scribo, non scriberem. Sed nec qualescunque rerum nexus, quos intellectus finitus fingit, sunt vere possibiles, cum in intellectum infinitum non omnia cadant, quae intellectus finitus in possibilem numerum refert. Quis ergo possibilitatem mundi ab hoc diversi evincere poterit? Evieta autem & stabilitate Mundi unicitate, *de Mundo optimo* quaestio est otiosa. Cum autem mundus optimus ille sit, quo *melior* concipi nequit; si plures mundi forent possibiles, plures quoque mundi *optimi* concipi possent, cum nil nos cogat, ut mundos alios aliis meliores fingamus, sed quilibet mundus, quotquot ponantur possibiles, talis esse possit, quo melior concipi nequeat, ergo optimus. Differemus tamen infra pluribus de hac materia.

§. 72.

DE SUMMIS ENTIS INFINITI
PERFECTIONIBUS.

DE perfecto quaestio nunquam orta fuit.

set, nisi quotidie observarentur, quae nemine dissentiente imperfecta dicerentur. Imperfectio autem modo dicitur privatio, ut caecitas, paupertas; modo defectus ordinis, modo per imperfectionem idem intelligitur, ac quod per partem, vel id, quod non est totum; modo quid, quod nondum plene existit, vel immaturum: sed sensu philosophico imperfectum est procul dubio omne id, quod propter eertum finem existit, qui autem per illud non obtinetur. Perfectio sensu metaphysico est ille rei status, quo finis, propter quem existit, plene obtinetur. Sed & imperfectum idem significat ac finitum; perfectum idem ac infinitum. Si de ente infinito sermo est, per summam ejus perfectionem nil aliud intelligere possumus & debemus, ac ipsam ejus infinitatem, ita ut, quascunque perfectiones fingamus, nullam earum illi tribuere liceat, ac quae posita infinitate simul ponatur. Quae salva infinitate abesse possunt, non sunt perfectiones in ens illud cadentes. Male ergo philosophi hominem perfectissimum sibi repraesentantes omnes ejus perfectiones, quamvis in summo vel absque gradu enti infinito tribuunt. Si ens infinitum necessario negatur esse nigrum, ea propter non est album. Si negatur esse difforme ut Thersites, ideo non est formosum ut Adonis. Si negatur esse caecum, inde non sequitur, illud habere oculos. Sunt omnino perfectiones naturarum finitarum, quae imperfectiones forent naturae infinitae. Sunt ideae, sunt actiones, vel operationes vel effectus, quae naturarum cogitantium & agentium finitudinem necessario supponunt, nec in ens infinitum ullo

modo cadere ppsunt. Itaque male ratiocinantur, qui hoc modo, quae sequuntur, connectunt: Imperfectio est limitatio, finitudinis effectus: ens illimitatum vel infinitum est ergo perfectissimum: scientia & potentia sunt perfectiones; habet ergo infinitam scientiam & potentiam. Eodem enim modo quae sequuntur, recte connectuntur: Morbus est imperfectio; ens infinitum est ens perfectissimum, est ergo infinite sanum, vel sanitate gaudet perfectissima. Omnia attributa, quae perfectiones appellamus, ex Aseitate vel Infinitate ipsa sunt demonstranda, nec valet ratiocinatio ex perfectionibus nostris. Sic contra Dippelium illo argumento uti non auderem, *quod iustitia punitiva sit perfectio; Deus autem ens perfectissimum*. Si omnia re vera in ente infinito reperiuntur & extra illud existunt, quae posita infinitate necessario ponuntur; ens illud est ens perfectissimum, non autem comparative; non est v. c. perfectius homine; ejus enim & hominis perfectionis nulla plane comparatio duci potest. Verbis ludunt, qui id negant.

§. 73.

DE OMNISCIENTIA.

QUODCUNQUE existit, vel sibi ipsi est manifestum, vel repraesentatur ab alio. Ens ergo infinitum, cum sit *a se*, necessario sibi est manifestum; pugnantia enim loqueretur, qui diceret, quod possit quid esse *a se*, & existentiae suae sibi non esse conscium. Cum sit *unicum* ens, quod sit *a se*, ab alio reprae-

sentari nequit, cujus existentiae non sit causa: est ergo non solum sibi manifestum, sed quoque omnia sibi repraesentat, quae praeter illud existunt, & quae praeter illud existunt, existunt quia repraesentantur ab illo; repraesentatio entis infiniti est causa possibilitatis rei repraesentatae & ratio sufficiens ejus existentiae, cum praeter repraesentationem hanc ad constituendam rei vel possibilitatem vel existentiam aliud quid adhuc requiri, ut statuamus, nullae nos cogant rationes. Cur non necessario existunt, quae intellectus finitus sibi repraesentat, & quia illa sibi repraesentat, finitudo ejus causa est, & contra, cur existunt, quae intellectus infinitus sibi repraesentat, & quia illa sibi repraesentat, infinitas ejus causa est. Quaecunque ergo existunt, sunt sequelae repraesentationum intellectus infiniti. Naturae intelligentes, quae praeter ens infinitum existunt, iterum repraesentationes suas habent illis proprias. Ens infinitum ergo, cum non solum sui ipsius, infinitatis ergo vel omnitudinis suae, sibi sit conscius, sed etiam omnes naturae intelligentes cum repraesentationibus suis ipsis propriis repraesentationum entis infiniti sint sequelae, ens infinitum ergo fons sit omnis repraesentationis vel cogitationis vel omnis omnino scientiae, quis negabit, illud esse omniscium? Illud omnia perfectissime cognita perspectaque habere per se ipsum & naturas intelligentes, quarum est causa? per se ipsum, inquam, respectu repraesentationum, quas intellectus producit infinitus; per naturas intelligentes finitas autem, ratione repraesentationum, quae in intellectum tantum cadunt fini-

tum. Mundi phaenomenalis, vel mundi, *qualis* a nobis sensibus percipitur, repraesentatio absque corpore organico est impossibilis. Soli nemini licet, nisi qui oculos habet. Naturae ergo intelligentes, corpori organico junctae vel animalia omnino repraesentationes habent, quas substantiae incorporeae vel spiritus *puritales* habere nequeunt. Nihil tamen propterea de omniscientia entis infiniti decedit, cujus naturae illae intelligentes finitae sunt effectus. Intellectus infinitus potius limitaretur, vel in intellectum finitum degeneraret, si producere posset id generis repraesentationes, quae necessario supponunt intellectum finitum. Cum autem ens infinitum omnia possibilis simul sibi repraesentare dicatur; quibus omnino non placet consequentia, omnem idearum successionem ab intellectu infinito, tanquam limitationem non ferendam removens, ad ea attendant velim, quae de ente infinito, quatenus rebus successivis coexistit, considerato supra (§. 65.) diximus. Nos autem si omnia possibilis, vel quae intellectus infinitus sibi repraesentat, re vera quoque existere affirmamus, de finitis illis rebus (effectibus, mutationibus, accidentibus) id intelligi nolumus, quarum existentia demum ponitur, positis aliis existentis finitis (causis). Intellectus infinitus sibi repraesentat causas illarum rerum vel horum effectuum, & existunt re vera hae causae. Si illas sibi repraesentat ut liberas, ut tales quoque existunt & agunt.

§. 74.

DE OMNIPOTENTIA.

QUAECUNQUE existunt extra ens infinitum, sunt sequelae necessariae ejus infinitatis, qua posita simul ponuntur (§. 65. sq.), & collecta vel simul sumta sistunt effectum illum infinitum, qui solus cadit in causam infinitam; praeter ens infinitum nullum aliud existit, quod eosdem producere possit effectus; nec quod impedire possit ens illud, quo minus illos producat. Est ergo ens infinitum omni sensu omnipotens. Referent ad hoc philosophi quidam, ens infinitum, re ita se habente, novos effectus producere non posse, nullaue varietate delectari, id autem limitationem omnipotentiae necessario involvere. Ego vero hanc oppositionem, quae magni momenti esse videtur, §. 65. jam repuli. Per novos effectus autem hoc loco substantiae intelliguntur. Omnipotentiam ad impossibilia se non extendere Nostrates saepe nobis inculcant, & arcent profanos illos, qui ad Omnipotentiam provocantes Theologis praesertim haud raro nimis molesti sunt. Verum res aliter se habere mihi videtur. Posita enim Omnipotentia, ponitur simul, enti omnipotenti nihil esse impossibile, vel omnia illi esse possibilia, & cum ens infinitum simulque omnipotens ipsum sit fons & causa omnium possibilitatum, talia impossibilia, ad quae omnipotentia se non extendat, non Omnipotentiae solum, sed & omniscientiae totiusque essentiae hujus entis limitationem involvere videntur. Dicam, quod res est. Omnia sunt possibilia enti infi-

nito. Distinctio in possibile & impossibile in intellectum tantum cadit finitum (§. 1.). Omnia effici possunt ab ente Omnipotente praeter effectus illos qui necessario requirunt vel supponunt causam finitam, ergo non omnipotentem. Illi effectus, quamvis e numero possibilium sint, tamen non sunt objecta omnipotentiae, quae autem, hisce exceptis, absque absurditate limitari dici nequit, cum primum ipsa entis omnipotentis *Illimitabilitas* vel *Infinitas* obstat, quo minus ejusmodi effectus, causam finitam necessario supponentes, producat, tum autem causa finita horum effectuum ipsa sit effectus omnipotentiae. Allegari possunt impossibilia multa, ad quae omnipotentia se non extendat; sed impossibilia illa originem suam debent finitudini intellectus nostri, & dum adabilia tantum restringimus Omnipotentiam, de alio possibile loquimur, quam quod cadit in ens vel intellectum infinitum, de illo nempe cui impossibili opponitur. Si negamus, per omnipotentiam effici posse, ut aliquid simul sit & non sit, nostrum cogitandi modum intellectui infinito vel inscii tribuimus. In intellectu infinito omnia suntabilia; cum ens infinitum produxit, quae extra illud existunt, interabilia & impossibilia non distinxit; illi acturo nunquam obstat impossibilitas, & omnipotens appellatur, dum consideratur ut causa omnium eorum, quae extra illud existunt. Series infinita rerum existentium est simul series infinita possibilium, quae omne impossibile excludit. Impossibilia enim, ad quae Omnipotentia se non extendere dicitur, aliter concipi nequeunt, ac

limites ipsius, & posito impossibili, ponitur defectus cujusdam possibilitatis, quo posito series possibilium infinita non est. Necessesse est ergo, ut causam infinitam sub forma causae finitae prius nobis repraesentemus, quam ejus potentiam ad impossibilia se non extendere dicamus. Itaque si ens infinitum secundum nostrum cogitandi modum ratiocinari supponitur, nemo dubitabit, quin etiam nobiscum impossibile esse adfirmet, quod aliquid simul esse & non esse possit. Impossibilia autem illa sunt vel vera & propria objecta casus puri (*Hazard*), immutabilitatem essentialium excludentis, vel causam tantum spectant finitam. Qui ergo ad Omnipotentiam temere vel in casibus, ubi provocatio illa locum non habet, provocant adeoque errant, ab omnipotentia vel tales effectus postulant, qui casui puro (*qui tamen posita Omnipotentia excluditur*) sunt proprii, vel tales, qui in causam finitam tantum cadunt, quibus autem ut effectibus omnipotentiae positae tolleretur *omnipotentia ipsa*. Arcemus ergo facili negotio profanos illos, respondentes, casum purum omnipotentia posita excludi, omnipotentiam ergo non limitari, e numero objectorum illius sublati casus puri objectis; & omnipotentia posita poni causas finitas cum omnibus illis effectibus, in illas solas quadrantibus. Sed non idem, nec de sola voce lis est, si omnipotentiam ad impossibilia se extendere negamus. Tunc enim de intellectu infinito & de tota essentia entis infiniti non recte sentimus.

§. 75.

DE OMNIPRAESENTIA.

ENS infinitum est ubique praesens, cum non solum vel inextensum vel in infinitum extensum (§. 27.) sit, nulloque ergo spatio ad exemplum substantiarum finitae extensionis includi possit, sed etiam omniscium & omnipotens, vel fons omnium repraesentationum vel cogitationum, & causa omnium, quae extra illud existunt, sit (§. 73. 74.) Ubicunque existit quid, ubicunque cogitatur & agitur, ibi est ens infinitum, cujus infinitatis omnia, quae existunt, sequelae sunt necessariae (§. 65. seq.). Sed etiam ens infinitum recte ubique totum esse dicitur: Omnia enim entia finita, quotquot existunt, hoc loco tanquam unum tantum ens considerantur, cui ens infinitum, totum omnino & integrum, (sano sensu) coexistit. Ubi ens infinitum praesens esse dicitur, ibi absque absurditate pars Totius intelligi nequit, sed Totum ipsum semper intelligendum est, quod *ut unum indivisibile* hoc loco consideratur. Immo ens infinitum, per quod universum omnino subsistit, hoc excellentiori ergo sensu, ut spatium, in quo est, considerari potest. Omnipraesentia involvit Providentiam: Quis enim dubitaret, mundum regi ab illo, qui ejus Auctor, ubique praesens omniscius (sapientissimus) & omnipotens est? Modum vero, quo ab illo regitur mundus, quis mortalium determinare audebit? Ex iis tamen, quae de effectibus finitis, in causam infinitam non cadentibus, supra dicta sunt, abunde adparet, mundum non regi

§. 76.

DE UTROQUE MALO.

MALUM mihi est illa imperfectio, per quam intelligo talem rei statum, in quo finis, propter quem existit, obtineri nequit. Est vel necessarium, naturale seu physicum, vel morale. Naturale late sumtum omne malum est, cujus causa libera non sumus. Morale late sumtum, cujus causa libera sumus. Naturale strictè sumtum vel physicum in sensu proprio est, quod ad corpus solum spectat, illud imperfectum reddit, destruit, vel imprimis quaecunque passio corporis, cum qua dolores sunt conjuncti. Morale strictè sumtum supponit legem entis infiniti ejusque transgressionem. Hisce praemissis magna & difficilis oritur quaestio, num mundus absque utroque malo sit possibilis? Substantias possibiles esse, utroque malo solutas, immo permultas in statu hoc felicissimo existere, nemo forte dubitabit. Sed experientia teste possibiles quoque sunt substantiae, in quas utrumque malum cadit. Primum ergo nihil nos cogit malum universale vel per universum quasi diffusum admittere; tum vero mundus omni ex parte utroque malo carens admitti nequit, cum substantiae possibiles sint, in quas utrumque malum cadit, sine quibus ergo mundus foret imperfectus, cum hoc casu non omnes existerent substantiae, quae existere possunt. Sed hoc
non

non obstante, utrumque malum cum summa bonitate entis infiniti pugnare videtur. Cum enim essentia entis infiniti fons sit omnium possibilem, vel nihil possibile sit, quod non ex essentia entis infiniti necessario sequatur, vel illa posita simul ponatur: jure quaeritur, quomodo ex essentia entis summe boni utriusque mali possibilitas sequi possit? Ad hoc respondent mundi optimi patroni, majorem inde nasci mundi perfectionem. Verum si maxima mundi perfectio absque malo, quod ens infinitum odio habere dicitur, obtineri nequit; ens infinitum non omni carebit limitatione. Sed salva res est. Malum physicum ad corpus tantum spectat, quod est corruptibile, mortale. Ad corpora autem ejusmodi mortalia & bona & mala physica indifferenter se habent: mors omnia exaequat. Ens, quod sentit dolores, corruptibile est, peritque, anima superstite. In ens incorruptile, immortale, si caderent mala physica, aliter forte se res haberet. Rerum corruptibilitatem naturae ita conveniunt mala physica, ut vix mala in sensu philosophico appellari queant. Homines paullo constantiores vel gravissimos contemnunt dolores, immo sponte se illis exponunt, mortemque ipsi saepe sibi consciscunt; id quod magnum animae in corpus adeoque & in mala physica imperium satis probat. Mala illa physica, quae omnino sunt imperfectiones certo respectu, non magis tamen imperfectiones absolute tales vel essentielles sunt, quam fragilitas vitri: Immo potius, cum qualescunque mutationes, in materiam

cadentes, inter ejus perfectiones sint referendae, mala illa physica procul dubio e numero perfectionum materiae sunt. Non solum vita, sed etiam mors fines sunt, quos Natura petit & consequitur. Mala ergo, quae physica appellantur, tanti habere nequeo, ut illa cum summa entis infiniti bonitate pugnare mihi persuadere possim. Mala moralia in eodem mundo, in quo sunt, etiam abesse possunt: sunt enim effectus causae liberae. Mundus absque malo morali non est melior vel perfectior mundo cum malo morali, nec mundus cum malo morali perfectior est mundo absque malo morali. Uterque mundus, & praecise ille mundus est optimus, in quo sunt causae libere agentes, in quo ergo tales eventus sunt possibili, *qui salva identitate mundi & in illo contingere & non contingere possunt*, quia causarum liberarum sunt effectus. Verum malum morale stricte sic dictum adhuc multum negotii facessit philosophis. Supponit legislationem entis infiniti, legisque transgressionem. Sed fac, legem ab ente infinito latam, ejusque transgressionem possibilem esse. Summa legislatoris bonitas salvari nequit, nisi salvetur simul libertas, substantiarum, in quas cadit, summum bonum; libertas autem salvari nequit, nisi salva transgressionis legis, de qua sermo est, possibilitate; Philosophum autem nihil cogit, ut admittat id generis poenas, quibus positae tollitur summa bonitas entis illas infligentis, vel alias ponuntur, quae contradictionis principium abhorret. Aeternitatem poenarum infernalium philosophus impune ignorare potest. Illa au-

tem entis infiniti legislatio ex infinitate ejus necessario non sequitur; a priori ergo evinci nequit. Itaque frustra de origine mali, & quomodo illud, salva summa entis infiniti bonitate, possit admitti, disputatur, cum prius existentiam ejusmodi, mali probare necesse habeamus, quam de ejus origine solliciti simus. Cui autem argumento, quominus longius immorer, instituti mei ratio impedit.

§. 77.

DE MANICHAEISMO.

QUAECUNQUE attributa in Auctorem Mundi cadunt, sunt sequelae necessariae ejus infinitatis; quodcunque ergo salvo hoc illove attributo Auctoris mundi admitti nequit, pugnat cum ejus infinitate. Manichaeismi patroni Auctorem mali nobis obtrudere conantur, qui aequae potens vel infinitus sit, ac Deus: Ex praemissis autem apparet, Manichaeismum errorem esse. Aut enim malum, quocunque sensu accipiatur, pugnat cum infinitate Auctoris mundi aut non. Si prius; Auctor mali aequae potens & infinitus esse nequit, ac Deus: pugnat enim malum cum infinitate, ita ut nullum ens infinitum auctor mali esse possit. Si posterius; si nempe malum cum infinitate non pugnat; nil nos cogit, ut fingamus Auctorem mali aequae potentem & infinitum ac Deus est. Ex hypothese tamen Manichaeismus contra permultos adversarios defendi potest, qui de malo tales senten-

132 C O N S I D E R A T I O N E S &c.
tias habent, & eousque procedunt, ut amplius
res plane comprehendi nequeat, quomodo nempe
salva Dei sanctitate, summaque bonitate, sa-
pientia & potentia malum existere potuerit?
Relegatur §. praec. in fin. Ego ad finem pro-
pero.



A. Jovio Stephano ratam emissa
 Corruptio superius allatit Lites Provis
 in 10 Epist. de vitiis Burrogolim et Regis
 esse vobis etc. Scripsit non tam eximie
 10 Epist. etiam si Burrog. fuisse constitutum
 quam hunc rangum 10 ^{num} in auctore
 verum iam esse inclusum quare quemadmodum
 dum dicimus in Grecia velle legimus
 primum facile Epist. solum etiam Cheloni
 Burrog. 8. n. **Corrigenda:** Sapientem sed velle
 et illorum primum quam ⁱⁿ Burrog. in Corrog.

- Pag. 17. lin. 18. sed tamen lege quamvis.
- p. 21. lin. 32. post alterius ponatur vel.
- p. 32. lin. 16. post inhaerent deleatur vel.
- p. 33. lin. 1. lege inhaerent & post attributa pars sane.
- p. 35. lin. 34. desunt lege insunt.
- p. 76. lin. 3. infinitum lege indefinitum.
- p. 109. lin. 24. existit lege existit.
- p. 111. lin. 2. successione lege successive.
- p. 116. lin. 29. alterius lege alterius.

Dotea

quod etiam sedem circa se aliam in collo
 scabit. Sed rangum caput aliorum arg
 adeo Burrog. scripsit, ita Burrog. adis. tenet
 non videt emere 10 Epist. includi
 Merog. Burrog. que proprius in velim
 in 10 Epist. ut solum inter Sapientem
 obvia sententia etiam esse videlicet Merog.
 N. H. Academia in Italia constituta primum
 velitur. Merog. et Epist. Dudentem primum
 Gelim. q. esse voluerit nomen H. Academia
 numero universitatem includit, quia
 saltem ab omni ord. et Burrog. ut in
 quo rpe gradus Academia const. quam
 si Acad. hinc tam sit universitatis
 quam Academia, atque Merog.
 primum hinc tam Epist. multa ad emon
 primum habet

cum Egiptibus confudite et numero so
incluisse raris magis quod posse a
ad integritatem ubi beatus
sequeretur. Etenim reuerentibus
etiam integram gentem
feliciter tractantem de fermissis
etiam hyemis rigor in conditum vulgus
frangere uicinas, atque in tranquillitas
etiam laeta fuisse artibus qui superstitibus
erant. Quod illa coronata sollicitudine
que illum confluerat multitudinem solenne
per uniuersum R. promulgari iussit, quo
sub lapidis iocundis praecipit ut
ad ueram sui fidem reuertentes
secundum illam legem quam C. C. C. C.
ne praedicto fraus fierent omni
anni passim quod dicitur rei quia a
sive ad paganismum. Reserua
post haec etiam cum reuocatores
terram hanc cadit hoc tenentem
crederent et uiciorum copia commi
uentia quare et passim hinc et
inimica hinc publicis

[Faint, mostly illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to decipher but appear to include:]

... the ... of ...
... the ... of ...
... the ... of ...
... the ... of ...



CAVITA
D

Stare cupis lector, librum quic
possides istum,

Aquila sub sigillum nomen
venerunt meum.

Sic mihi Eximium Sepul
que laborum,
tingat ingenium Virgo
Mano meum.

Goodwin

Sae fidelis sis, fideli, cave fidem
fluam geras.

Reus Omnia si perdas famam ser-
vare memento.

Nam omnia sunt terri per-
sustentia fide.

Accidit in mureto quod non sperat
in ano.

Salubet nova moribus, resantia tempo

756239

currit, latibiam trahit,
bundancia de subit; 30rum
non peribit

John Van...
M...

[Faint, illegible scribbles]

Agnes currit, la Sibian Inabit,
si abundancia de Agrib; totum
- gaudium peribit

John Van...
M...



756289

756259

